Daub. Suidae biographicorum origine et fide

Paginarum numeri sunt supplementi undecimi annalium philologicoru

Litterarum Graecarum veram historiam non prius posse perscribi quam de fontium et testimoniorum, a quibus omnis fere et proficiscatur opera nostra notitiaque et ad quae usquequaque revertatur oportet, forma condicione fontibus fide diligentissime sit quaesitum, non iam potest subterfugere peritos iudices, quamvis harum rerum parum habuerint rationem, qui artem ipsam susceperunt enarrandam. Enimvero quae veteres auctores de re litteraria Graecorum prodidere plerumque non ipsa aetatem tulerunt, sed per multos fluvios rivolosque propagata continuata dilatata, mox etiam deformata et obscurata recentioris et infimae aetatis scriptorum seu conpilatorum industria nobis servata sunt. Pernecessarium igitur est ut omnia testimonia quam adcuratissime examinentur, eaque quae e priscis limpidisque fontibus manarunt per singulos gradus ad suum auctorem referantur. Quo quidem in genere quam multa adhuc vel incerta vacillent vel delitescant obscura, nemo nescit qui has litteras paululum adtigerit. In Suidae vero biographicis, quae largissimam ac saepe fere unicam litterarum Graecarum notitiam suppeditant, nuper extiterunt qui laudabile ac bonae frugis plenissimum conlocarent studium; tamen sicut res ferebat minime omnia cum pulvisculo ut aiunt exhauserunt multaque aliis emendanda supplenda enucleanda reliquerunt. Quae cum ita sint operae pretium futurum iudicavi, si in Suidae vitas scriptorum Graecorum denuo inquirere conarer. Sed noli opinari totam me quaestionem absolvere voluisse: quod ne possem quidem pro innumeris quibus hoc opus inpeditum est difficultatibus. Ego equidem satis habeo hominum doctorum opinionibus subtiliter et circumspecte examinatis huius disquisitionis eam potissimum partem quae in librorum tabularum Suidianarum origine fideque indaganda versatur pertractasse, ac cetera quae de singularum notationum indole fontibus auctoritate recte animadvertisse mihi videar, apte disposita protulisse. Qua in re dici nequit quantum adiutus sim C. Wachsmuthii praeceptoris optumi insigni opera consilio exemplo: quod aequare licet viribus meis denegatum fuerit, suavissimum tamen fuit pro virili parte imitari.

Verum antequam ad propositum ipsum adgrediamur pauca praefari placet. Suidas quibus ex fontibus in βίοις scriptorum Graecorum hauserit, post Bernhardyum (Conmentat. de Suid. lexic. C. II. § 9, p. LIII sq.) primum dedita opera rimari conatus est Did. Volkmann (dissert. 'de Suidae biographicis quaestt. selectae', Bonn. 1861); dein hanc quaestionem tractarunt Otto Schneider (disputatione

'de Callimachi operum tab. quae extat ap. Suidam' = Callimach. II (a. 1873), p. 23 sq.); tum eodem fere tempore et C. Wachsmuth ('de fontibus ex quibus Suid. in vit. Graec. script. haus.', Symb. Phil. Bonn. I, 137 sq.) et iterum D. Volkmann ('de Suid. biograph. quaestt. alterae', ibidem II, 717 sq.); denique etiam Fr. Nietzsche (cap. V de Laertii Diog. fontibus disputationis: 'de Laertio et Hesychio' = Mus. Rhen. n. XXIV, 210 sq.), cuius sententiam novis argumentis firmare idem Volkmannus ('de Suid. biogr. quaestt. novae',[1]) Progr. schol. Portens. a. 1873) studuit. Possumus autem duplicem in modum instituere hanc quaestionem, aut ita ut a primis fontibus aliunde investigatis proficiscamur, deinde singulos fluvios rivolosque permetiamur usque dum in mare Suidianum pervenerimus, aut ita ut a Suida ipso exorsi ad singulos fontes viam persequamur, quoad his cursibus iteratis ad summos montes ascenderimus. Ac priorem quidem viam ita ingressus est Volkmannus, ut inter diversissimas Suidae notationes seorsum quasdam consideraret artiore cognatione inter se conexas earumque originem argumentis aliunde petitis erueret atque sic primos fontes indagaret, nihil curans quibus itineribus in „Oceanum" Suidianum inmigrassent: ceteri vero, in primis Wachsmuthius, alteram amplexi sunt rationem longe sane difficillimam. Quarum duarum rationum per se satis probabilium eam esse cum maxime commendabilem, quae alteram teneat semitam salebrosam priore tanquam certissimo duce nunquam derelicta, verissime monuit Wachsmuthius (l. l. p. 137): quam nos quoque in hac disputatione sequemur.

Caput I.

De Hesychio Milesio eiusque Onomatologi epitoma unico fere Suidae fonte.

Hesychium Milesium in litteris Graecis praecipuum Suidae ducem fuisse ex huius ipsius verbis quae extant s. Ἡσύχιος (ἔγραψεν ὀνοματολόγον ἢ πίνακα τῶν ἐν παιδείᾳ ὀνομαστῶν, οὗ ἐπιτομή ἐστι τοῦτο τὸ βιβλίον) post M. Schmidtium (Didym. Fragm. p. 17,[1]), G. Bernhardyum (l. l. p. LV), V. Roseum (de Aristot. libr. ord. et auct. p. 49) conclusit certaque[2]) argumentatione demonstravit

[1]) Has tres Volkmanni commentationes numeris I II III breviter designabimus. — [2]) Tamen Schneiderum in una re fallaci opinione deceptum esse Wachsmuthius (l. l. p. 138) exposuit, qui in ceteris illi adsentitur. Nam post Lehrsii luculentam disputationem (v. supr. p. 405) iam dubium esse nequit (cfr. etiam Wachsmuthium Nietzschiumque l. l.), quin libellus iste qui sub Hesychii Milesii nomine hodie circumfertur („περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψάντων σοφῶν") recentissima demum aetate ex frustulis Suidianis et Laertianis misere conflatus sit: quamquam id ne nunc quidem Schneiderus (l. l. 24, n. 1) concedit. [Ceterum hac de re nunc prorsus aliter iudicat H. Flachius (vide eius disputatiunculam in Teubneri Nunt. a. 1879, no. 5, 85 sq. Hesychii Milesii libelli editioni praemissam), cuius rationes

O. Schneider (Callim. II, 23 sq.). Neque vero conprobo sententiam quam de verbis 'οὗ ἐπιτομή ἐστι τοῦτο τὸ βιβλίον' proposuit: quae cum hominibus doctis satis negotii facessiverint, iam paulo enucleatius erunt examinanda. Nec enim cum Schneidero interpolatori cuidam tribuo, sed unice Suidae ipsi, ita tamen ut non cum Wachsmuthio (l. l. p. 138), Lehrsio (Mus. Rhen. n. XVII, 453, n. 2 = 'die Pindarscholien' p. 159, n. 2), Schmidtio (l. l.), Bernhardyo (l. l.), Roseo (l. l.) illud τοῦτο τὸ βιβλίον ad Suidae lexicon referam, sed cum Naekio (Choer. p. 35), C. Muellero (F. H. G, IV, 144), Volkmanno (II, 729 not.), Nietzschio (Mus. Rh. n. XXII, 193 not. 17), Bergkio (Hist. litt. Graec. I, 293, n. 50), L. Mendelssohnio (Act. soc. phil. Lips. II, 181, n. 1), H. Flachio (Eudoc. et Suid. p. 37, 96, n. 2) his verbis epitomen aliquam operis Hesychiani nunc oblitteratam significari censeam. At Volkmanno quem Nietzschius sequitur id unum non concedo, quod huic ipsi epitomae Hesychii vitam quae apud Suidam legitur olim praefixam fuisse statuit, sed multo simplicius existumo Suidam verba illa ex epitoma ipsa in qua Hesychii quoque vita enarrabatur parum cogitate descripsisse.[3]) Namque eorum opinio qui verba τοῦτο τὸ βιβλίον ad Suidae librum ipsum revocant propterea displicet, quod tum prorsus singulariter et inconcinne dicta essent, utpote quae non toti lexico Suidiano quod in glossis seu λέξεσιν inlustrandis magnam partem versatur ac plane diversis nititur fundamentis, sed articulis ad litterarum tantum historiam pertinentibus conveniant: nec secus inepte, etiamsi interpolatori nescio cui inputaremus, immo multo ineptius quam a Suida ipso essent adposita. Sed nullam omnino idoneam causam video, qua verba illa Suidae abiudicare cogamur: quippe in tali condicione quali nunc leguntur ab omni dubitatione exemta sunt.

Duo igitur opera litteraria olim extitisse videmus, ambo nunc deperdita, et plenius Hesychii, i. e. ὀνοματολόγον ἢ πίνακα τῶν ἐν παιδείᾳ ὀνομαστῶν, et brevius, huius scilicet libri epitomen ab alio factam. Quae cum ita sint, id vel maxime quaeritur, qualis tandem ratio inter utramque scriptionem intercesserit. Ac de indole quidem et ordine Onomatologi, quo omnium Graecorum qui inde ab antiquis temporibus usque ad Iustiniani aetatem[4]) litteris floruerunt ecclesiae pa-

---

quoniam non integras habeo perspectas, sub examen vocare in praesens non placuit.] Sed ut cetera argumenta omittam, vel illud gravem movet suspicionem, quod huius libelli ratio et consilium toto caelo distat ab eo quod in genuino 'Onomatologo' obtinuisse perspectum habemus (cf. Schneider. l. l. 26 sq.). Enimvero in illo nihil nisi exiles quaedam de vita singulorum fabellae et philosophorum quaedam placita constipata sunt. — [3]) Similiter hac de re nunc video iudicare Bergkium (l. l.) neque aliter Flachium (l. c. 96,[2]). — Ceterum ne id quidem a Suidae ingenio alienum fore opinor, si quis Suidam ipsum verba illa adiecisse iisque hanc ipsam epitomen quam perpetuo in lexico suo contexendo manibus trivit oscitanter significasse contenderit. — [4]) Ceterum cf. nunc Rohdium Mus. Rh. n. XXXIV, 563, n. 1.

tribus seclusis (cfr. Suid. s. Ἡσύχιος) vitas enarravit Hesychius, post Schneiderum (l. l. 26 sq.) Wachsmuthius subtilius ita disputavit (l. l. p. 139), ut homines litteris insignes non una serie conprehensos, sed in diversa litterarum genera divisos κατὰ χρόνους dispositos fuisse ex indiciis quibusdam enuclearet. Revocat autem illud quod verba καὶ αὐτός in Suidae vitis aliquotiens reperiuntur plane supervacanea ad indicem aliquem eumque Hesychii Onomatologum. Velut quod illa s. Πολέμων ὁ νεώτερος et s. Ὑπερίδης ita usurpantur, ab eo ordine quo apud Hesychium glossae secutae sint iure repetiit (sed cf. Rohdium Mus. Rh. n. XXXIV, 620); nec secus relicua exempla huic causae conveniunt, si ab indice s. Σωτάδης huc vix revocando discesseris. Praeterea autem alia in promptu sunt sane quam gravissima, quibus Wachsmuthii opinio potest stabiliri.[5]) Veluti quae leguntur s. Πιττακός· . . εἷς καὶ αὐτὸς τῶν ζ' σοφῶν ὤν, et s. Σόλων . . ἔστι δὲ καὶ οὗτος εἷς τῶν ζ' ὀνομαζομένων σοφῶν (ubi id quoque velim adtendas, prope ad finem posita esse haec verba, unde Hesychii 'epitomatorem' ea ipsum adiecisse illius ordinis ratione habita demonstratur), si conparaveris cum glossis s. Κλεόβουλος (. . εἷς τῶν ζ' ὀνομαζομένων σοφῶν, ῥώμῃ καὶ κάλλει διαφέρων τῶν κατ' αὐτόν) et s. Περίανδρος (. . τῶν ζ' σοφῶν, cf. etiam gl. s. Λᾶσος, Μίμνερμος, Τυρταῖος), in Onomatologo ipso septem sapientes seorsum ex temporis ordine digestos fuisse facile perspicies. Quod item cadere videtur in septem illos tragicos, οἵτινες ὠνομάσθησαν Πλειάς; modo considera glossas s. Ἀλέξανδρος, Αἰτωλός, Διονυσιάδης, Λυκόφρων, Ὅμηρος, Σοφοκλῆς, Σωσίθεος, Σωσιφάνης, Φιλίσκος; nec dissimilem ad causam redire videntur quae in vitis poetarum comicorum Aristophanis et Menandri aequalium leguntur (cf. s. Θεόπομπος, Νικοχάρης, Νικοφῶν, Πλάτων; s. Φιλήμων . . βραχὺ Μενάνδρου πρότερος, s. Ἀπολλόδωρος Γελῷος . . σύγχρονος τοῦ κωμικοῦ Μενάνδρου, s. Ποσείδιππος . . τρίτῳ ἔτει μετὰ τὸ τελευτῆσαι τὸν Μένανδρον . .), pariterque alia multa. Sed praeterea ad ordinem chronologicum in Hesychii libro servatum rettulerim quae reperiuntur s. Σιμωνίδης Κρίνεω . . γέγονε δὲ καὶ αὐτὸς μετὰ ἐνενήκοντα καὶ τριάκοντα ἔτη τῶν Τρωικῶν, sc. ut Ἀρχίλοχος, cuius vitam ab Hesychio sine dubio enarratam Suidas describere omisit (cf. Volkmannum III, p. IV, atque post eum Rohdium Mus. Rh. n. XXXIII, 193 sq. et de verbis istis et de re ipsa multo subtilius ac probabilius disputantem); s. Μουσαῖος Ἐφέσιος, si quidem vera est Wachsmuthii coniectura verba sic refingentis: Μ. Ἐ. καὶ αὐτὸς ἐποποιὸς (sc. ut Μ. Ἐλευσίνιος poeta vetustior) τῶν εἰς τοὺς Περγαμηνοὺς κύκλους; s. Πείσανδρος Νέστορος τοῦ ποιητοῦ υἱὸς . . ἐποποιὸς καὶ αὐτός, sc. ut Νέστωρ Λαρανδεὺς . . ἐποποιὸς (cf. Suid. s. h. v.), s. Νικόλαος . . ἀδελφὸς Διοσκορίδου γραμματικοῦ . . σοφιστεύσας

---

[5]) In quibus non desunt quae ipse mihi comiter suppeditavit Wachsmuthius.

καὶ αὐτὸς ἐν Κωνσταντινουπόλει (ceterum glossam quae praecedit, s. Νικόλαος ῥήτωρ, cum hac ipsa conectendam esse vidit Boissonadus [in Marin. Vit. Procl. p. 87]), sc. ut frater qui antea apud Suidam nominatur Διοσκόριος, Μυραῖος, .. ὁ διδάξας τὰς θυγατέρας Λέοντος.. ἐν Βυζαντίῳ (cf. Bernh. ad h. gl.); s. Ὀρφεὺς Κικοναῖος.. γέγονε δὲ καὶ οὗτος πρὸ Ὁμήρου, δύο γενεαῖς πρεσβύτερος τῶν Τρωικῶν, sc. ut Ὀρφεὺς Thrax, quem γεγονέναι πρὸ ια΄ γενεῶν τῶν Τρωικῶν Suidas s. h. v. ait (cf. Lobeck. Aglaoph. 356), quocum conparare licet quod dicitur Εὔμολπος . . ἐποποιὸς τῶν πρὸ Ὁμήρου (cf. etiam gl. Κόριννος). Porro glossa s. Ἐμπεδοκλῆς, θυγατριδοῦς τοῦ προτέρου (sc. Empedoclis philosophi), τραγικός . . nunc ap. Suidam ante v. Ἐμπεδοκλῆς . . φιλόσοφος conlocata in Onomatologo harum glossarum inversum olim ordinem regnasse luculenter evincit, quem quidem chronologicum 'epitomator' eumque secutus Suidas ita inmutaverint, ut primo loco Empedoclis (tanquam poetae), secundo E. philosophi (tanquam pedestris scriptoris) notationem ponerent.[6])

Itemque totius sententiae veritatem firmius conroborare videntur verba quae leguntur in gl. Εὐσέβιος Ἀράβιος, propterea satis notabilia quod Eusebii istius aetas ad Hesychianam propius quam ceterorum quos adhuc enumeravimus scriptorum accedit: σοφιστής, ἀντισοφιστεύσας καὶ αὐτὸς Οὐλπιανῷ, nullius Eusebii vel alius cuiusdam qui fuerit Ulpiani aemulus mentione antea facta, unde suspicari licet apud Hesychium praecessisse memoriam nescio cuius sophistae, qui conparem in modum atque Eusebius illius aemulus extiterit: quales quidem cogitari possunt Constantini aequales hice: Γυμνάσιος, Θέων Σιδώνιος, Ἰάμβλιχος φιλόσοφος, Ὀνάσιμος, Παλλάδιος, Παῦλος Αἰγύπτιος.

Denique unum suppetit exemplum, quo nescio an idem ordo stabiliatur, s. Πρόκλος ὁ Λύκιος, μαθητὴς Συριανοῦ, ἀκουστὴς δὲ Πλουτάρχου τοῦ Νεστορίου, καὶ αὐτὸς φιλόσοφος Πλατωνικός, pariter ac Συριανός . . φιλόσοφος, ἡγησάμενος τῆς ἐν Ἀθήναις σχολῆς τε καὶ διατριβῆς (i. e. scholae quae nuncupatur neoplatonicae),

---

[6]) Nam in Suidae lexico (nec aliter fuit in Hesychii epitoma) singulos ὁμωνύμους scriptores in universum ita videmus dispositos, ut primum poetae, dein prosae orationis auctores recenseantur, id quod cadit in gl. s. Ἀπολλόδωρος, Ἀπολλώνιος, Ἀριστοφάνης, Ἀρριανός, Διογένης, Ἕρμιππος, Θεοδέκτης, Θεόπομπος, Ἵππαρχος, Μένανδρος, Μενεκράτης, Μυρώ, Ὅμηρος, Παλαίφατος, Πτολεμαῖος, Στράττις, Στράτων, Σωτάδης, Τιμόθεος, Φιλίσκος, Φιλόξενος, Φρύνιχος. At pauca exempla quae huic legi repugnant plerumque sic possunt expediri, ut Suidas ipse ex aliis fontibus glossam ὁμώνυμον ceteris inseruerit sive adposuerit, cf. gl. s. Ἀρίσταρχος, Διόδωρος, Νικόστρατος, Σώπατρος, Φίλιππος, quarum omnes prima excepta Suidas ex Athenaeo conpilavit. — Ceterum parum iuvat quod Bernhardyus lectorem ad Laertii l. VIII, 58 relegavit, ubi hoc unum legimus: Ἡρακλείδης δὲ . . ἑτέρου φησὶν εἶναι τὰς τραγῳδίας (sc. quae Empedocli philosopho volgo adscribebantur) nulla alterius Empedoclis mentione antea iniecta.

διδάσκαλος γενόμενος Πρόκλου, ὃς καὶ διάδοχος αὐτοῦ ἐγένετο.. Iam vero eidem fere libri, qui sub Syriani nomine hic recensentur, illic Proclo tribuuntur, qua quidem in causa a Syriani discipulo „eosdem titulos retentos et in paribus argumentis esse consumptos" Bernhardyus recte negavit, eidemque plane adstipulor, quod omnia scripta inde a verbis, 'ἔγραψεν εἰς Ὅμηρον ὅλον ὑπόμνημα' usque ad 'βιβλία δέκα' a Syriano abiudicavit (cf. etiam Lobeck. Aglaoph. p. 344). Qui tamen nollem addidisset per „fraudem" opera illa Syriano supposita indeque, quod homo male sedulus similitudine tam studiorum quam librorum utriusque philosophi conmotus ante librum 'περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ θεῶν' verba εἰς τὰ Πρόκλου adpinxisset, factum esse, ut e gl. Πρόκλος traducerentur verba περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ — βιβλία δέκα (ceterum idem censet Flachius, l. l. p. 42 sq.). Nam si quid video res ita se habet, ut 'epitomator', qui in 'Onomatologo' Syriani et Procli glossas iuxta conlocatas reppererit, eadem fere opera utrique temere adscripserit.

Cum plenum opus Hesychianum ex temporis ratione adornatum fuisse nunc pro certo adfirmari possit, 'epitomatorem' qui in breviorem formam illud redegit singulos articulos rursus ad litterarum ordinem in Suidae lexico qualem nunc animadvertimus digessisse ex duabus potissimum rebus licet conligere. Ac primum quidem me docuit Wachsmuthius verba καὶ αὐτός aliquotiens ita esse adhibita, ut non solum ad ὁμωνύμους auctores qui antecedunt relegent (cf. Volkm. III, p. VI sq.), sed etiam ad tales qualium nomina ex ordine alphabetico proxima sint. Velut legitur s. Σωσιφάνης.. τραγικός.. ἔστι δὲ καὶ αὐτὸς ἐκ τῶν ζ' τραγικῶν.., pariter atque Σωσίθεος, cuius nomen in 'epitoma' praeiit; item s. Τιμοκρέων.. κωμικὸς καὶ αὐτὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας, sc. ut Τιμοκλῆς; s. Φιλήμων Συρακόσιος, καὶ αὐτὸς κωμικὸς τῆς νέας κωμῳδίας, sc. ut Φιλέταιρος; s. Φιλιππίδης Ἀθηναῖος, κωμικὸς καὶ αὐτὸς τῆς νέας κωμῳδίας (cf. Volkm. III, p. VII,[7]), sc. ut Φιλήμονες duo.[7]) Dein ad eundem ordinem rettulerim quod legitur s. Ἐπίνικος, καὶ αὐτὸς κωμικός, ubi verba καὶ αὐτός ad glossam s. Ἐπίλυκος, κωμικὸς ποιητής, paulo ante positam, quanquam vita Epimenidis interiacet, respicere videntur. Porro ni fallit opinio verba in calce glossae s. Σέλευκος Ἐμισηνός exhibita 'καὶ ἄλλον δέ τινα Σέλευκον εὗρον ἐμπαράθετον (ἐν παρα^{θτ} A, ἐμπαρα^{θ} *V)', quae mirum quantas difficultates hominibus doctis praebuerint, huc item possunt adsciri. Neque enim probabiliter Bernhardyus vocis ἐμπαράθετος interpretationem ex verbis gl. Νικόστρατος.. ταῦτα ἐν παραθήκῃ εὗρον κείμενα nondum satis explicatis petiit traditamque scripturam εὗρον ἐν παραθήκῃ conrexit, i. e. 'in alio scrinio quam quo litterae grammaticorum continebantur, sive in corollario quodam vel auctario

[7]) Dubitanter addo gl. Διόδωρος, καὶ αὐτὸς κωμικός, pariter atque cuius nomen subsequitur Διοκλῆς κωμικός.

narrationis de variis Seleucis'.., nisi forte 'ἐμπαράθετον' 'inter alios citatum' quispiam explicaverit.[8]. Sed vox illa ἐμπαράθετον tolerari sane potest: quam usitatam fuisse Suidae ipsius glossa ἐμπαράθετος docet. Ergo Suidas ait se alium quendam Seleucum in Seleucorum numero proxime ceteros conlocatum repperisse. Noli tamen cum Volkmanno (IV, p. XI, n. 19) de Demetrii Magnetis indice scriptorum cogitare, sed unice de Hesychii epitoma, in qua Seleuci litteris insignes una serie conprehensi erant.

Aliis deinde argumentis alphabeticus ordo 'epitomae' probatur. Enimvero glossa s. Κάστωρ 'Ρόδιος ῥήτωρ apud Suidam duobus locis invenitur, primum post v. Καρνεάδης . . φιλόσοφος et ante v. Καρνείωνος, dein post v. Καστωλός et ante v. Καστρεύσαντες. Iam vero cum inter glossam Καρνεάδης ἕτερος et v. Καστωλός nulla alia intercedat, hac ipsa causa me quidem iudice luculenter evincitur Suidam in fonte quo utebatur articulum illum post gl. Καρνεάδης φιλόσοφος repperisse litterarumque ordine neglecto huic ipsi adnexuisse, infra tamen volgaris ordinis habita ratione suo loco iterasse. Hinc duae res necessario consectariae sunt, et Epitomen κατὰ στοιχεῖον adornatam (cf. etiam Nietzschium Mus. Rh. n. XXII, 196, et Bergkium, l. l. p. 292, n. 47, qui tamen Epitomen a pleniore Onomatologo non distinxerunt), nec secundum litterarum genera dispositam fuisse, cum philosophum rhetor subsequatur. Idem abunde docent testimonia qualia leguntur s. Μέλητος . . ῥήτωρ, ubi verba καὶ ἦν ἐπὶ τῶν Ζήνωνος κ. τ. λ. ad nomen Μέλισσος haud dubie referenda apud Suidam Eudociamque (p. 301) cum hac glossa male coaluerunt (cf. Laert. IX, 24, vid. Menag. ad h. l., et Clint. F. H. II, p. 59, L); s. Ἶπυς verba extrema οὗτος πρῶτος ἔγραψε . . καὶ ἄλλα ad gl. Ἱππῶναξ pertinent (vid. Bernh. ad v. Ἶπυς); s. Σιμμίας quae verba (ἦν δὲ ἐξαρχῆς Σάμιος — τῶν Σαμίων) alieno loco leguntur, ad Σιμωνίδην Ἀμοργῖνον referenda sunt (cf. Ions. de Scr. Hist. Phil. 26, Clint. F. H. I, 179, III, 487, Welcker. Mus. Rh. a. 1835, p. 354); nec Bernhardyo adsentior ex hac quoque glossa intellegi dicenti, quantum dedecoris Suidas per librariorum an lectorum neglegentiam indoctamque temeritatem inmeritus subierit. Adde quod post gl. Ἔφιππος nomen Ἔφιππος turpi errore iteratum est, cuius in locum Ἔφορος erat substituendum (cf. Clint. F. H. Append. c. 21, p. 374, et Bernhard. ad h. l.): unde liquido adparet ambas glossas in Epitoma iuxta positas Suidae culpa esse confusas. Denique Bergkius

[8]) Aliter sed vix probabiliter his de duabus glossis Rohdius (Mus. Rh. n. XXXIII 182,[1]) iudicavit, qui s. Σέλευκος proposuit scripturam: εὕρομεν παρ' Ἀθηναίῳ (XV, 697, d?) et s. Νικόστρατος . . ταῦτα μὲν(?) παρ' Ἀθηναίῳ εὗρον κείμενα, ubi quidem tradita verba nimis audacter mutavit: ceterum quantopere suae ipsius coniecturae diffidat scriptura μέν probat. — Praeterea Bernhardyus huc relegare non debebat verba s. Δαμόφιλος· ἐξ ὧν ταῦτά μοι εὕρηται ἐν ταῖς τῶν βιβλίων θήκαις ab Hesychio profecta planeque diversa significatione adhibita.

(l. s. c.) inde quod verba extrema διέτεινε δὲ — πάνυ πολλά ad Aristophanem Byzantium pertinentia cum gl. Ἀριστώνυμος male conglutinata sint (cf. Meinek. F. C. G. I 198), conligere non debuit Onomatologum (vel ut nunc rectius loquamur 'Epitomen') dispositum fuisse ex litterarum ordine: nec enim Suidas Eudociave priorum errores secure repetierunt, neque 'Epitomator' tali errore inplicatus est, sed Suidas ipse memoriam Ἀριστωνύμου ex Athenaeo in mediam glossam Ἀριστοφάνης temere inculcavit.[9])

Caput II.

De Dionysio Halicarnassensi primario Hesychii in vitis poetarum et musicorum auctore.

Quoniam satis exploratum est Suidam omnes fere notitias una cum librorum tabulis ex Onomatologi Hesychiani 'Epitoma' desumpsisse, gravissima oritur quaestio, quos fontes Hesychius ipse in vitis pertexendis adhibuerit. Ac prae ceteris quidem hic nominandi sunt Dionysii Halicarnassensis minoris libri XXXVI μουσικῆς ἱστορίας (cf. Suid. s. h. v.), quod opus amplissimum in vitis poetarum et musicorum primarium fuisse Hesychii fontem post Meinekium (F. C. G. I, 16 sq., 608 sq., V, I) Schneiderus evidenter demonstravit[10]) (l. l. p. 29 sq.), Wachsmuthius novis argumentis con-

---

[9]) In fine huius disputatiunculae conmemorare lubet Usenerum (Mus. Rh. n. XXVIII, 404) Theonis et Pappi συγχρονισμόν qualem exhibet Suidas reiecisse (cl. Leid. Mscr. n. 78. Fast. Theon.) Pappumque tertio saeculo exeunti adsignasse. Opinatur nimirum Hesychii 'epitomatorem' ea ratione qua Pappum et Theonem apud Hesychium consociatos invenerit inductum esse, ut aequalem utrumque fuisse diceret Theonisque aetatem ad Pappum revocaret. Sed talis Hesychii erroris explicatio parum adridet. Theonis utique aetatem sub Theodosio M. certo constitisse tenendum est. Iam vero non solum iuncti hic illic conmemorantur Pappus et Theon interpretes Ptolomaei syntaxeos, sed in codicibus etiamnum operam ita videmus conciliatam, ut τὰ Θέωνος εἰς τὸ λεῖπον τοῦ Πάππου exhibeantur (cf. Fabric. bibl. VIII, p. 208); Pappi autem aetas incerta fuit: ergo hunc ipsum cum Theone ab Hesychio ad idem tempus relatum fuisse credo. — [10]) Qui tamen in disputatione de memorabili testimonio s. Ἡρωδιανός (p. 31 sq.) id mihi non persuasit, Dionysium in opere suo addidisse memoriam eorum grammaticorum qui poetarum scripta commentariis inlustraverint. Nempe laudat Schn. glossas s. Παμφίλη et s. Σωτηρίδας, ubi Dionysii musica historia in testimonium vocetur: nam cum neque Pamphilam nec Soteridam carmina panxisse constet, permirum esse quod libros Pamphilae volgo adscriptos Soteridae patris esse Dionysius in musica historia narrasse dicatur; unde facile posse conici, praesertim cum Soteridas (cf. Suid. s. h. v.) de Homero Euripide Menandro disseruerit, Dionysium eorum quoque grammaticorum qui in poetarum opera commentarios conscripserint vitam pertractasse. Qua in re vir sagacissimus falsa opinatione deceptus est; nam inde quod D. in vita Pamphilae testis excitatur minime sequitur, ut idem Soteridae vitam peculiari notatione descripserit. Deinde vero quod Schn. s. v. Σωτηρίδας

firmavit (l. l. p. 146 sq.). Idem musicae historiae indolem atque argumentum egregie adumbravit, cum Schneiderus amplissimum opus a Rufo quodam in brevem summam contractum esse acute evicisset. Rufianae autem epitomae imaginem quandam nobis informare possumus opera Sopatri, cuius magnam eclogarum partem ex Rufiano libro excerptam esse docet Photius (Bibl. Cod. 161, 16 sq.). Cuius ex verbis simul intellegitur in opere suo Dionysium de poetis lyricis tragicis comicis disputasse nec non epicos[11]) tractasse (cf. Schneider. l. l. et Wachsmuth. p. 146, n. 26). Praeterea luculenter exposuit Wachsmuthius in poetarum musicorumque notationibus Suidianis rationem plane earundem rerum habitam esse quas praecipue respexisse in pertexenda musica historia Dionysium ex Photii testimonio adpareat (ceterum cf. quae de Dionysii in harum rerum enarratione fontibus speciosa coniectura iudicavit E. Rohdius, in commentat. de Iul. Polluc. in appar. scaen. enarrand. fontt. Lips. 1870, p. 79 sq., praeterea inspicias Fr. Schoellium, de loc. nonn. ad Aeschyl. vit. etc. pertinent., Ien. 1875, p. 48).

Ad hanc igitur Dionysii scriptionem optima quaeque notationum Hesychianarum, prae ceteris librorum tabulas, recedere sine scrupulo contendere possumus: cui quidem opinioni inde potissimum adfertur auxilium, quod operum indices ex litterarum ordine digesti, quem in poetarum maxime scriptis recensendis animadvertimus, 'peculiarem sibi et proprium' auctorem vindicant, in poetarum autem vitis permulta Dionysii copiarum vestigia inesse perspectum est.

Dehinc gravior oritur quaestio, quis tandem poetarum librorum tabulas Dionysio suppeditaverit. Atque indices quidem κατὰ στοιχεῖον dispositos ex bibliothecarum catalogis esse petitos optimamque habere auctoritatem dudum intellectum est (cf. Volk-

---

in testimonium vocari illum contendit a vero multum recedit. Neque enim dubium est quin glossa II s. Cωτηρίδαc (Ἐπιδαύριοc, πατὴρ Παμφίληc, ἣ τὰ ὑπομνήματα ὑπέγραψεν (?), ὡc Διονύcιοc ἐν λ΄ τῆc μουcικῆc ἱcτορίαc, βιβλία γ΄ (?) pretii nullius sit utpote ex verbis s. Παμφίλη misere conformata (cf. quae dixi Mus. Rh. n. XXXV, 58 sq.). Denique Schneiderus non amplius mirabitur quod auctor musicae historiae de Pamphilae librorum auctoritate disseruisse dicitur, si Photii (Bibl. Cod. 175, 33 sq.) de huius studiis testimonium adtente consideraverit. Ibi legitur: χρήcιμον δὲ τὸ βιβλίον (sc. ἱcτορικῶν ὑπομνημάτων) εἰc πολυμαθίαν· εὕροι γοῦν ἄν τιc καὶ τῶν ἱcτοριῶν οὐκ ὀλίγα ἀναγκαῖα καὶ δὴ καὶ ἀποφθεγμάτων καὶ ῥητορικῆc διατριβῆc ἔνια καὶ φιλοcόφου θεωρίαc καὶ ποιητικῆc ἰδέαc καὶ εἴτι τοιοῦτον ἐμπέcοι. Quibus ex verbis elucet Dionysium satis habuisse causae quod in opere suo mentionem Pamphilae faceret. Ergo conruit Schneideri suspicio Dionysium eorum grammaticorum vitas tractasse qui illorum carmina conmentati essent opinantis. — [11]) Dubito huiusne Dionysii opus a Suida laudetur s. Ὀρφεὺc Ὀδρύcηc . . Διονύcιοc δὲ τοῦτον οὐδὲ γεγονέναι λέγει (cf. etiam Lobeck. Aglaoph. I, 352, et E. Maass. de Sibyll. indic. (1879), p. 54, n. 173), immo Dionysium Phaseliten quem περὶ ποιητῶν (cf. Vit. Nicandr. in Westerm. Biogr. p. 61, 20) scripsisse constat hic significari credo. Contra s. Ἀντιφάνηc quin D. Halicarnassensis testimonium proferatur nullus dubito.

mann. I, 28 sq., II, 724, Wachsmuth. Philol. XVI, 662 sq., Symb. p. 148, U. de Wilamowitzium, Anal. Eurip. 131 sq.). In Suidae tamen tabulis id praecipue nobis agendum est, ut ordinem perturbatum quoad eius fieri possit restituamus et recentiora additamenta resecemus. Qua via procedendo genuinas πινάκων tabulas ipsas redintegrabimus, quarum haec singularis virtus est, quod ea dumtaxat quae in certis bibliothecis sive Alexandrina sive Pergamena sive aliis conlecta erant volumina respici solent (cf. Usener. Anal. Theophr. 24).

Ac *tragoediarum* quidem tabulas si perlustramus, ordinem alphabeticum integrum servatum habemus, id quod iam Volkmannus perspexit (I, 29 sq.), s. v. Διογένης ἢ Οἰνόμαος (cuius de fabulis nunc vide disputantem Rohdium Mus. Rh. n. XXXIV, 620), Κλεοφῶν, Λυκόφρων, Φιλοκλῆς, quibus Wachsmuthius (l. l. p. 150) verissime addidit indicem qui extat s. Σπίνθαρος a Volkmanno (I, 34) perperam explicatum. In Lycophronis vero tabula id velim adtendas tragoedias tantum litterarum ordinem tenere (cf. Welcker. Trag. Gr. III, 12 sq.), cum carmen quod Alexandra inscribitur seorsum exhibitum sit. Que re optimae notae esse tragoediarum indicem probatur. Dein Philoclis fabularum plenum catalogum excerpsisse tantum Suidam docemur verbis 'ὧν ἐστι καὶ ταῦτα' (qua de loquendi ratione infra agetur), cum ab H demum littera initium faceret, in calce titulos manifesto omitteret, velut Pandionidem (cf. Kayser, Hist. cr. trag. Gr. 54 = Schol. Ar. Av. 282).

Porro tragoediarum ordinem alphabeticum obscuratum Volkmannus (I, 30 sq.) in integrum restituit s. v. Ἀπολλόδωρος, Νικόμαχος, Τιμησίθεος, etiamsi de multis rebus ambigi potest; tabulam denique s. Φρύνιχος eandem prae se ferre indolem Wachsmuthius (l. l. 150, 151) sagaciter perspexit.

Quae tabulae cum fide dignissimae sint, Thespidis tragoediarum indicem ne flocci quidem faciendum esse[12a]) iam Bentlei (Phalarid. 271, interpr. Ribb.) acumen intellexit (cf. Volkmann. I, 34). Hoc tamen diiudicari nequit, utrum Dionysius Hesychio tabulam suppeditarit an hic vel Suidas aliunde delibaverint. Unum certissimum est fabulas a Suida enumeratas (μνημονεύεται δὲ τῶν δραμάτων ..) in πίνακας nunquam fuisse relatas, quod quidem vel usus verbi μνημονεύειν a catalogorum sermone remotissimi liquido indicat.

Dein *comoediarum* tabulae quales nunc reperiuntur apud Suidam partim ex priscis ac limpidis fontibus fluxerunt partim ex Athenaei libris conlectae sunt. Quo de altero indicum genere haud dubie Suidae ipsius manu confectorum peculiariter infra disputabitur;

[12a]) Cuius tragoediarum et titulos et fragmenta Heraclidis Pontici (cf. Laert. V, 92) fraudi deberi idem Bentleius subtiliter ostendit. De huius vero opere quod συναγωγὴ τῶν ἐν τῇ μουσικῇ (διαλαμψάντων) inscribitur docte nuper disseruit Bergkius (Hist. litt. Gr. I, 404 sq.), cf. Plut. de mus. III, p. 1132 d, et Ric. Volkmanni adnot. p. 59.

priores vero Hesychio Dionysium ex bibliothecarum catalogis haustos praebuisse idem probat ordo alphabeticus[12b]) seu integer servatus seu redintegrandus. Ac primum quidem fabulae s. v. Χιωνίδης, Κράτης Ἀθηναῖος, Εὔπολις, Πλάτων, Λεύκων, Κηφισόδωρος, Φόρμος enumeratae litterarum seriem etiamnum stricte tenent, quod iam perspexere cum Volkmannus (I, 34 sq.) tum maxime Wachsmuthius (l. l. 151 sq.). Praeterea iidem ordinem obscuratum illum sed in integrum sua cura restitutum detexerunt in tabulis s. v. Φρύνιχος, Καλλίας, Στράττις, Νικοχάρης, Νικοφῶν, Φιλωνίδης, Φιλύλλιος, Σαννυρίων (cuius de fabulis vide quae dixi Mus. Rh. n. XXXV, 64 sq.), Φιλίσκος. Quarum in numero titulos s. v. Καλλίας (. . οὗ δράματα Αἰγύπτιος — ceterum nescio an huius inscriptio fuerit potius Αἰγύπτιοι eisdem Antiphanis et Timoclis conlatis —, *Ἀταλάντη*, *Κύκλωπες*, *Πεδῆται*, Βάτραχοι, *Σχολάζοντες*) praeter unum Βάτραχοι κατὰ στοιχεῖον procedere omnes Volkmannus (I, 35) vidit. Iam si argumentum perpenderis fabulae Πεδῆται — quae Calliae sine dubio vindicanda est, cf. Meinek. F. C. G. I, 214 — Πεδῆται ἢ Βάτραχοι germanam fuisse inscriptionem facile mihi concedes.

Quibus tabulis dubitanter addo etiam catalogos s. Μεταγένης, Διοκλῆς, Ἀπολλοφάνης, Ἀραρώς, Φιλέταιρος, Ὠφελίων, Ἡνίοχος, Σώφιλος, Τιμόθεος, Ἀπολλόδωρος Γελῷος, tamen hi omnes uberiorem atque explicatiorem flagitant enarrationem, quam in aliud tempus differre praestat.

Caput III.

De epicorum carminum tabulis e bibliothecarum catalogis petitis.

Iam cum et tragicorum et comicorum indicibus examinatis Callimachi πίνακας omninoque bibliothecarum catalogos tanquam primarios Dionysii Halicarnassensis fontes investigaverimus, ad epicorum poetarum tabulas recte aestimandas ac pernoscendas via planior facta est et expeditior.

[12b]) Noli tamen huc referre indicem s. Ἀριστοφάνης exhibitum. Substituit nimirum Suidas ex eodem Aristophanis comoediarum exemplo ex quo scholia excerpsit nomina XI fabularum a plerisque tum lectitatarum — cf. ἅπερ δὲ πεπράχαμεν Ἀ. δράματα . ., et de usu vocis πράττειν etc. vid. G. Buenger. de Arist. Equ. Lys. etc. ap. Suid. reliqu. Diss. Argent. 1878, p. 9, 10 — in locum pleni indicis quem Hesychii epitome ei praebebat (cf. Wilamowitz. Herm. v. XIV, 464 sq., et iam Anal. Eurip. 135, not. 3). Verum hanc plenam tabulam aliunde nuper recuperavimus: nam Fr. Novati ex cod. Ambros. L. 39 sup. edidit (Herm. l. l. 461 sq.) κατάλογον τῶν Ἀριστοφάνους ποιημάτων, quorum numerus (μδ´) cum Suidiano (δράματα δ᾽ αὐτοῦ μδ´) mire concinit. Rectissime igitur — convenit enim etiam Ἀριστ. γένος in Ambros. enarratum cum brevi vita Suidae — Novati coniecit et Suidae testimonium et indicem Ambrosianum ex eodem limpido fonte, i. e. πίναξι, promanasse.

Enimvero in his item ad litterarum ordinem dispositae reperiuntur tabulae, quarum luculenta exempla s. Νίκανδρος et s. Εὐφορίων extare iam Schneiderus (Call. II, 32) perspexit, quibus v. Ἡσίοδος nec non v. Πανύασις et Εὔμολπος Wachsmuthius (l. l. p. 149, et not. 38) addidit. Qua in re unum gravissimum est. Nam, quod nemodum disertis verbis monuit, ordinem alphabeticum non servatum cernimus nisi in libris eiusdem generis indolisve recensendis, i. e. plerumque poeticis, nusquam tamen in scriptis generis diversi, ita ut ποιήματα et pedestris sermonis scriptiones *coniunctim* κατὰ στοιχεῖον non procedant. Idque vel maxime cadit in Alexandrinorum poetarum indices ex litterarum ordine digestos, quos prosa quoque oratione libros conposuisse nemo ignorat. Velut s. Εὐφορίων epica tantum carmina enumerantur, id quod ipsa Suidae verba liquido conmonstrant (βιβλία δ' αὐτοῦ ἐπικὰ ταῦτα· *Ἡσίοδος*, *Μοψοπία* ἢ *Ἄτακτα* .. *Χιλιάδες* ..), neque in tabula ulla fit mentio librorum pedestri sermone perscriptorum, velut eiusdem ἱστορικῶν ὑπομνημάτων, περὶ μελοποιῶν, περὶ Ἰσθμίων κ. τ. λ. Secuntur vero ex litterarum ordine (cf. Wachsmuth. l. l. 150 et inprimis not. 39) Euphorionis opera a Suida conmemorata, de quibus optime disseruit Meinekius (Anal. Alex. p. 12—15), eiusque iudicium fere conprobo, cum mira narraverit Bernhardyus (ad Suid. s. h. v.). Porro opinari licebit hanc tabulam in fronte (*Ἡσίοδος*), in medio, in calce (*Χιλιάδες* qui quidem titulus eorum qui innotuere secundum litterarum ordinem est novissimus, cf. Meinek. l. l. p. 75) a Suida delibatam esse.[13])

Dein de indice s. Ἡσίοδος servato iam nil fere habeo quod addam; videmus autem tribus titulis κατὰ στοιχεῖον ordinatis ea Hesiodi carmina quae aetatem tulere praemissa, cuius rei qualis ratio sit Volkmannus (II, 728) exposuit. Atque eandem normam in indice s. Νίκανδρος exhibito regnasse in propatulo est: Ν.... ἔγραψε Θηριακά, Ἀλεξιφάρμακα, Γεωργικά, *Ἑτεροιουμένων* βιβλία ε', *Ἰάσεων* συναγωγήν, *Προγνωστικὰ* δι' ἐπῶν (μεταπέφρασται δ' ἐκ τῶν Ἱπποκράτους προγνωστικῶν), περὶ *Χρηστηρίων* πάντων (παντοίων coniecit Volkmannus, nescio an recte, cf. simillimam Philemonis libri περὶ παντοδαπῶν χρηστηρίων inscriptionem, quacum E. Rohdius [de Jul. Poll. fontt. p. 12, n. 3] apte conposuit Nicandreum libellum, de quo prorsus aliter sensit O. Schneider. Nicandr. p. 27) βιβλία γ' καὶ ἄλλα πλεῖστα ἐπικῶς. Sed de hac tabula paulo explicatius dicendum est. Nam contra O. Schneiderum, qui (Nicandr. edit. praef. p. 19 sq.) peculiarem de Nicandri scriptis quaestionem instituit, omnia s. h. v. recensita scripta ἔπη fuisse arbitror. Hic tamen ita ratiocinatus est

[13]) De titulo Ἡσίοδος a Bernhardyo iniuria temptato vide Bergkium Anal. Alex. Marb. 1846, p. 19, Nietzschium Mus. Rh. XXV, 538, et XXVIII, 236. — In huius glossae fine cur Westermannus cum Bernhardyo verba ἐπιγράφεται — ἀποτελοῦνται deleverit non adsequor: sunt enim verba dumtaxat 'ὡς διὰ χιλίων ἐπῶν ἀποτελοῦνται' removenda.

(p. 26, 27): in titulo προγνωστικὰ δι' ἐπῶν verba extrema aut solum ad προγνωστικά aut — quod veri ducit similius — ad omnes qui antecedunt titulos posse referri: iam si hoc statueremus, librum περὶ χρηστηρίων pedestri sermone conpositum, sin illud, τὴν ἰάσεων συναγωγήν 'fortasse' non item epos, sed prosa oratione conscriptam fuisse indicare voluisse Suidam. Sed neutrum effici potest. Verba enim δι' ἐπῶν ideo, opinor, adposita sunt, ut Hippocratei operis pedestri sermone perscripti metaphrasis Nicandrea non item prosa sed versibus esse conposita significetur. Unde consequens est verba δι' ἐπῶν ad προγνωστικά unice pertinere; possumus igitur atque debemus ex novissimis verbis (καὶ ἄλλα πλεῖστα ἐπικῶς) concludere scripta antea enumerata ἔπη fuisse, cum Αἰτωλικά (cf. Schneider. l. l. p. 19 sq.), Κολοφωνιακά (l. l. p. 25 sq.), περὶ γλωσσῶν (p. 26 sq.), περὶ ποιητῶν (p. 27 sq.), pedestria opera omnia, in Suidiana tabula omissa sint. Quae opinio firmius potest conroborari, modo pinacographorum consuetudinis supra (p. 16) nobis adumbratae reminiscamur.

Praeter has tabulas egregia fide praeditas non desunt aliae notationes, quas si acrius perpenderis eisdem ex limpidis fontibus promanasse vix diffiteberis. Ac litterarum ordini non adversari titulos s. Πανύασις iam Wachsmuthius (p. 149, n. 38) animadvertit, quorum indolem bonam (cf. etiam Bernhardyum, Gr. Litt. Hist. II, 1³, p. 341) vel illud evincit, quod et versuum numerus sedulo denotatur et Ἰωνικῶν argumentum paucis delineatur. Nec non verba s. Ἤριννα (. . ἔγραψεν Ἠλακάτην· ποίημα δ' ἐστὶν Αἰολικῇ καὶ Δωρίδι διαλέκτῳ ἐπῶν τ') eandem resipiunt auctoritatem, cum ea quae hisce adnexa sunt (ἐποίησε δὲ καὶ ἐπιγράμματα) recentiorem prodant originem. Pariterque verba τελευτᾷ . . ἐννεακαιδεκέτις — ἴσοι τοῖς Ὁμήρου ex epigrammate in Erinnam conposito (cf. Anthol. I, p. 135: οἱ δὲ τριηκόσιοι ταύτης στίχοι ἶσοι Ὁμήρῳ ‖ τῆς καὶ παρθενικῆς ἐννεακαιδεκάτεος) efficta esse adparet. Alexandrinis vero grammaticis Erinnae epigrammata aut non innotuisse aut suspecta fuisse reor: quanquam omnino nondum habeo exploratum poetriam revera conscripsisse epigrammata, quantumvis adfirmarint Bergkius (P. L. G.³, p. 926) et Bernhardyus (Gr. Litt. Hist. II, 1³, 554). Porro Choerili scriptorum notitiam ex prisco fonte haustam esse suspicor, etiamsi Suidas Choerilum Samium ab altero Alexandri aequali non satis distinxit: ἔγραψε δὲ ταῦτα· τὴν Ἀθηναίων νίκην κατὰ Ξέρξου, ἐφ' οὗ ποιήματος κατὰ στίχον στατῆρα χρυσοῦν ἔλαβε (quod praemium unice recentiori Choerilo convenire subtiliter ostendit Naekius, Choeril. [Lips. 1817], p. 81—86) καὶ σὺν τοῖς Ὁμήρου ἀναγιγνώσκεσθαι ἐψηφίσθη (quae verba ad Choerilum Samium verissime idem rettulit p. 89 sq.). Λαμιακά, καὶ ἄλλα τινὰ ποιήματα αὐτοῦ φέρεται. Sed de inscriptione quam priori carmini celeberrimo Choerilus praefixerit parum constat (cf. Naekium Choer. p. 79): quippe exhibent nomen Περσηΐς Stobaeus (Sermon. XXVII, 1), Περσικά Herodianus (περὶ μονήρ. λ. p. 13).

At inscriptionem Suidianam ab aliquo Alexandrinorum grammaticorum profectam esse crediderim. Dubitant etiam de altera scriptione, utrum Λαμιακά revera audierit tum ad sequiorem certe Choerilum referenda an Σαμιακά conrigendum sit (cf. Naek. p. 101), quam quidem sententiam equidem duco probabiliorem.

Dehinc progredimur ad uberrimam tabulam s. Ὀρφεύς (Θρᾷξ) exhibitam, quade prudentissime Lobeckius (Aglaoph. I, 355 sq.) iudicavit, cum hac ipsa cum indice ap. Clem. Alex. Strom. I, p. 244 — 'quem e pinace antiqui cuiusdam critici excerpsisse videtur' (p. 353 sq.) — conlata decem titulos apud Clementem omissos 'in grammaticorum Alexandrinorum ἀναγραφαῖς non conprehensos fuisse' statuit. Itaque Suidae catalogum pristina niti auctoritate (cf. etiam Bergk. Gr. Litt. Hist. I, 396 et adn. 237), sed recentioribus additamentis deformatum esse censeo. Quod ne Bergkius quidem negavit, tamen ad Callimachum indicem revocare dubitavit. Sed nescio an inmerito: etenim si, quod ipse fatetur, Orphei opera in Alexandrinorum bibliotheca extiterunt, haec Callimachi curis in πίνακας esse relata credere par est. Nec Bergkio adsentior dicenti Alexandrinos in Epigenis — quem ante Callimachum περὶ τῆς εἰς Ὀρφέα [ἀναφερομένης] ποιήσεως scripsisse ex Clem. Al. Strom. I, p. 244 conpertum habemus — de Orphei scriptis iudicio adquievisse (p. 395 sq.; not. 235), quam opinionem conparatio Epigenis fragmenti (l. l.) cum Suidae tabula instituta confestim infringet:

Epigenes.	Suidas.
Ἐπιγένης δὲ ἐν τοῖς περὶ τῆς εἰς Ὀρφέα ποιήσεως Κέρκωπος (cf. Lobeck. Agl. I, 354) εἶναι τοῦ Πυθαγορείου τὴν εἰς Ἅιδου Κατάβασιν καὶ τὸν Ἱερὸν λόγον, τὸν δὲ Πέπλον καὶ τὰ Φυσικὰ Βροντίνου . .	. . εἰς Ἅιδου κατάβασιν. ταῦτα Ἡροδίκου [Προδίκου O. Mueller. Orchom. 118, et Welcker, Ep. Cycl. 255] τοῦ Περινθίου . . Ἱεροὺς λόγους . . λέγονται δ' εἶναι Θεογνήτου τοῦ Θεσσαλοῦ, οἱ δὲ Κέρκωπος τοῦ Πυθαγορείου . . Πέπλου καὶ Δίκτυον· καὶ ταῦτα Ζωπύρου τοῦ Ἡρακλεώτου, οἱ δὲ Βροντίνου . . Φυσικά, ἃ Βροντίνου φασίν.

Unde probabili coniectura possumus efficere Alexandrinos grammaticos Epigenis studia aliorumque fortasse in usum suum convertisse, ipsos tamen in fidem librorum Orpheo adscriptorum inquirere minime supersedisse.

Iam duae epicorum tabulae relicuae sunt, quas item ex bibliothecae alicuius catalogo fluxisse veri simillimum est. Sic legitur s. Ἀρριανός ἐποποιός . . μετάφρασιν τῶν γεωργικῶν τοῦ Βεργιλλίου ἐπικῶς ποιήσας, *Ἀλεξανδριάδα* (ἔστι δὲ τὰ κατὰ τὸν Μακεδόνα ἐν ῥαψῳδίαις κδ'), εἰς *Ἄτταλον* τὸν Περγαμηνόν ποιήματα: qua in tabula vides eundem non posse dici auctorem et metaphrasis Vergilii georgicon et carminis in Attali honorem conpositi. Quam temporum dissidentiam Meinekius (Anal. Alex. 371) ita facillime sustulit, ut duos cognomines Suidae inscitia confusos esse statueret. — Praeterea indiculum s. Μουσαῖος Ἐφέσιος servatum a πίναξι repeto: ἐποποιὸς τῶν εἰς τοὺς Περγαμηνοὺς καὶ αὐτὸς κύκλους.

ἔγραψε Περσηΐδος βιβλία ι' καὶ [ὕμνους intercidisse suspicatur Wachsmuthius] εἰς Εὐμένη καὶ Ἄτταλον. Quae verba dici nequit quantopere homines doctos torserint, quorum opiniones congessit Volkmannus (III, p. VIII et not. 8, vid. etiam C. Muellerum, Fr. H. Gr. IV, 518 cum adnot.); verum huius ipsius conamen rei enodandae vel maxime displicet. Ac primum quidem Kustero et Bernhardyo adstipulor 'κύκλους' de conlegio vel docta hominum Pergamenorum societate interpretantibus: quam rationem si amplectimur una cum Wachsmuthio verbis καὶ αὐτός post ἐποποιός transpositis — ita ut Musaeus Ephesius cum Eleusinio conferretur, vid. p. 406 —, hinc talis fere sententia elicitur: 'Musaeus . . et ipse poeta epicus, unus ex iis qui in conlegia Pergamena adlecta erant'. Qua cum notatione haud scio an apte queant conparari quae s. v. Λεσχίδης leguntur: ὃς συνεστράτευσεν Εὐμένει τῷ βασιλεῖ· ἦν ἐπιφανέστατος τῶν (sc. Περγαμηνῶν) ποιητῶν. συνῆν δὲ τούτῳ καὶ Πυθέας ὁ συγγραφεὺς καὶ Μένανδρος ὁ ἰατρός.

Unum superest exemplum, quod unde originem traxerit pro certo dici nequit, tabula videlicet s. Ἀριστέας . . τὰ Ἀριμάσπεια καλούμενα ἔπη (ἔστι δ' ἱστορία τῶν Ὑπερβορέων Ἀριμασπῶν) βιβλία γ' . . ἔγραψε δ' οὗτος καὶ καταλογάδην· (nam sic distinguendum est; notitiam vero de opere 'Θεογονία' plane mendacem esse constat, cf. E. Hillerum Mus. Rh. n. XXXIII, 522) Θεογονίαν εἰς ἔπη ‚α, in qua carminis epici ad argumentum numerumque librorum descripti notitiam non sine veri specie πίναξι vindicare possumus (cf. etiam E. Rohdium ibid. p. 181, n. 2). Quanquam Dionysius Halicarnassensis (π. τ. Θουκυδ. χαρ. c. 23, p. 863 sq.) et Cadmi Milesii et Aristeae scripta inter ea rettulit, quae licet aetatem tulissent non uno consensu pro genuinis haberentur. Sed Callimachus, opinor, fidem illius carminis suspectam sedulo notare supersedit. — Nil certi denique enucleare potui de Homeri operum tabula, quam ex diversis particulis conflatam esse liquet, nec facile est singularum originem expiscari, cum permulti scriptores in Homeri vita et poesi enarranda desudaverint (cf. Tatian. ap. Euseb. Pr. Ev. X, 11 = O. Schneider. Call. II, fr. 390). Tamen singulos titulos quoniam inconposite ac plane temere procedunt, Callimachi — quamvis Homeri quoque carminibus hunc operam navasse (cf. ibid. fr. 74[a]) probe cognitum habeam — niti auctoritate vix crediderim (cf. C. Diltheyum de Call. Cydipp. 10, H. Flach, Eud. et Suid. 56).

Hactenus de epicorum poetarum tabulis. Ceterarum auctores rimari in praesens mitto. Sed de Sibyllarum indicibus nonnulla adiciam. Etenim E. Maass (de Sibyll. indic., dissert. Gryph. 1879, p. 51 sq.) verissime perspexit duos in Suidae lexicon inmigrasse indices Sibyllarum, alterum 'Varronianum' [ὅτι Σίβυλλαι — βιβλία γ' (pro β'), cf. p. 32 sq., 37 sq.], alterum Hesychianum Sibyllas quae carmina reliquerunt recensentem — [Σίβυλλα Δελφίς — ὁμοίως χρησμούς], inter quos glossam de Sambetha Iudaea vilissimam esse insertam [Σ. Χαλδαία — οἱ χρησμοὶ αὐτῆς]. Hesychiana vero tabula, in qua

non nihil probi insit, unde originem traxerit nescit (p. 54), sed ad auctorem Hadrianeae aetatis redire eam opinatur. Sed quid obstat ne Dionysium (musicum) auctorem esse credamus, praesertim cum Photius (Bibl. C. 103, b. B) in Sopatri (i. e. Rufi, cf. p. 411) libro Sibyllas invenerit recensitas? Ceterum haud negarim Dionysianam doctrinam recentioribus additamentis sensim auctam esse.[14a]) Praeterea autem non pauci librorum indices occurrunt, quorum fidem vel admodum suspectam vel omnino nullam esse post Bergkium E. Hillerus (Mus. Rh. n. XXXIII, 522 sq., cf. p. 518 sq.) sagaciter perspexit. Inspice quaeso Palaephati operum tabulam: ubi sat miram versuum descriptionem a πίναξι repetere nolim, cum omnes tituli mere efficti sint (cf. Bergkium, l. l. I, 405, et n. 270; Hillerum, l. l. p. 522).

Ac plane eiusdem generis sunt verba s. Ἀριστέας (vid. supr. p. 417) extrema, s. Εὔμολπος . . ἔπη τὰ πάντα τρισχίλια (cf. Hiller. p. 523). Nec minorem dubitationis causam habent indices s. Ἀντίμαχος ἕτερος, s. Ἐπιμενίδης (cuius de scriptis recte sensisse videtur Hillerus, p. 525 sq.; praeterea cf. Bohrenum de Sept. Sap., Bonn. 1867, p. 9, n. 8), s. Θάμυρις (φέρεται δὲ αὐτοῦ θεολογία εἰς ἔπη τρισχίλια, cf. Bergk. p. 404 sq., Hiller. p. 522), s. Ἰδαῖος Ῥόδιος (. . ἔγραψε καὶ ἄλλα Ῥοδιακὰ εἰς ἔπη ,γ), s. Κόριννος (πρῶτος γράψας τὴν Ἰλιάδα, cf. Bergk. 406), s. Μουσαῖος Ἐλευσίνιος (ἔγραψεν ὑποθήκας Εὐμόλπῳ τῷ υἱῷ ἔπη ,δ, καὶ ἄλλα), s. Ὀρφεὺς Κικοναῖος, s. Ὀ. Κροτωνιάτης, s. Ὀ. Ὀδρύσης, quorum de libris iam Lobeckius (Aglaoph. I, 355 sq.) sanissimum tulit iudicium cum diceret: 'multo magis (quae in altera pagina secuntur) Byzantinorum pergulas redolent'. In quibus vel maxime suspecti sunt qui Orpheo Ciconeo tribuuntur (cf. etiam Lobeck. p. 378): et multa id genus scripta Neoplatonicorum demum aetate (altero p. Chr. saeculo) orta esse subtiliter monuit Bergkius (l. l. p. 400, 401). Plurimos vero titulos Hesychio non Dionysium suppeditasse, sed Hesychium Suidamve ipsum nescio quibus e latebris inscite congessisse mihi persuasum est.

Caput IV.

De lyricorum carminum tabulis a Dionysio e Callimachi potissimum catalogis Hesychio suppeditatis.

Dionysium musicum in lyricorum vita rebus scriptis enarrandis praecipuam conlocasse operam cum huius operis indoles ipsa abunde doceat, tum ex Sopatri eclogarum descriptione Photiana de qua supra vidimus optime intellegitur. Prae ceteris igitur huic ipsi Dionysianae scriptionis parti egregiam fidem tribuere possumus, qua

[14a]) Tamen hoc loco non possum non castigare levitatem qua Maassius de Hesychii fontibus iudicavit: quippe ne Philonem quidem Byblium inter praecipuos illius auctores disertim conmemoravit, nec philosophorum vitas unquam extremis tantum digitis adtigisse videtur.

tamen in re id velim adtendas, in Suidae notationum mole pristinam Dionysii copiarum speciem saepiuscule deformatam et recentioribus supplementis adauctam esse. Dionysii vero ipsius testimonia a locupleti quodam auctore oriunda esse signa nonnulla probant eaque gravissima. Etenim in lyricorum poetarum tabulis vel librorum seu versuum numerum adcurate definitum vel libros ex argumento dispositos vel eosdem ex litterarum ordine digestos vel singulorum poematum dialectum metrumve diligenter enotatum deprehendimus. Nec non in poetarum ipsorum aetate enarranda distinctam temporum notitiam cum spectamus, ad eruditissima Alexandrinorum chronographorum studia ultro deferimur. Omnino autem qui harum vitarum indolem considerarit, artiore nexu paene omnes contineri facile intelleget. Quippe videmus uniuscuiusque fere poetae nomen patriam parentes poeseos genus aetatem carmina concisa eademque dicendi ratione ita delineata, ut talia ad conmunem peculiaremque fontem non redire nequeant. Sed auctorem ipsum quem tandem fuisse censebimus? Ac Mauritius quidem Schmidtius (Didym. Fragm. p. 394 sq.) lyricorum et septem sapientium vitas ex libro περὶ λυρικῶν ποιητῶν derivatas esse statuit, cuius auctorem Didymum non illum Chalcenterum sed musicum[14b]) fuisse autumat —: quam totam opinionem paene nullis argumentis fultam Fr. Nietzsche (Mus. Rh. n. XXII, 200) iure refutavit unaque demonstravit lyricorum notationes cum pinacographorum curis multo magis quam volgo opinantur cohaerere. Tamen hic paululum subsistere et rem ipsam sedulo pervestigare placet. Atque ut statim quod sentio pronuntiem, illarum vitarum eam condicionem esse video, ut harum fundamentum iecerint Callimachi πίνακες, dein quae huius generis a Callimacho paucis enotata erant ceteri Alexandrini grammatici vel successores quos ille in bibliotheca administranda habuit auxerint et amplificaverint. Quam sententiam ut confirmemus, id praecipue ratione ac via probandum videtur, Callimachum in πίναξι non solum nuda scriptorum operumque nomina enumerasse, sed de vita quoque auctorum pauca adnotasse. Ac duo potissimum testimonia hanc opinionem conmendare videntur: 1) Athen. VI, 252, c (cf. Wachsmuth. Philol. XVI, 659, et O. Schneider. Call. II, 318): Ἀττάλου δὲ τοῦ βασιλέως ἐγένετο κόλαξ καὶ διδάσκαλος Λυσίμαχος, ὃν Καλλίμαχος μὲν Θεοδώρειον ἀναγράφει, Ἕρμιππος δὲ ἐν τοῖς Θεοφράστου μαθηταῖς καταλέγει. 2) Laert. (Diog.) VIII, 8, 1 (vid. eosdem): Εὔδοξος . . τὰ μὲν γεωμετρικὰ Ἀρχύτα διήκουσε, τὰ δὲ ἰατρικὰ Φιλιστίωνος τοῦ Σικελιώτου, καθὰ Καλλίμαχος ἐν τοῖς πίναξί φησι, quocum cf. Eudociae — quae Laertium conpilavit — Violar. p. 193: Ἐ . . ἀκουστὴς . . ὡς Καλλίμαχος ἐν τοῖς Πίναξιν, Ἀρχύτα καὶ Φιλιστίωνος. Extat et tertium

[14b]) Hanc ipsam de Didymo musico sententiam rectissime inprobarunt O. Schneider (Diar. antiqu. a. 1855 (no. 31), p. 241 sq.) et E. de Leutsch (Phil. XI, 20, not. 60), qui tamen eis quae de Pindari carminum dispositione (ibid. p. 17 sq.) disseruit, iustam rei rationem neutiquam perspexit.

testimonium (Procl. in Parm. Plat. Cous. 5 = Wachsm. l. l. p. 659 = Schneid. l. l. p. 305 sq.: διδάcκαλος μὲν ὁ Παρμενίδηc, μαθητὴc δὲ Ζήνων, Ἐλεᾶται δ' ἄμφω, καὶ οὐ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῦ Πυθαγορικοῦ διδαcκαλείου μεταλαβόντε, καθάπερ που καὶ Καλλίμαχοc [CD: Νικόμαχοc] ἱcτόρηcεν), sed hoc propterea adsciscі nequit, quod ex πίναξι manasse non exploratum est (cf. C. Diltheyum de Call. Cydipp. 18, n. 1). Iam vero Wachsmuthius (l. l. 661) singulis auctoribus Callimachum breves de vita et studiis notulas subiecisse haudquaquam certum esse dixit: nam priorem illum locum (Ath. VI, 252, c) ita explicari posse, ut Lysimachus pleno nomine Θεοδώρειοc adpellatus sit ne cum cognominibus confunderetur, alterum (Laert. VIII, 8, 1) sic ut similium reminisceremur inscriptionum, velut Φιλοδήμου περὶ τῆc τῶν θεῶν εὐcτοχουμένηc διαγωγῆc κατὰ Ζήνωνα (in vol. Hercul. VI), Φιλοδήμου τῶν κατ' ἐπιτομὴν ἐξειργαcμένων περὶ ἠθῶν καὶ βίων ἐκ τῶν Ζήνωνοc cχολῶν (vid. Wachsm.). Utramque vero explicationem incertam esse quamvis non diffiteatur, respecta tamen tota πινάκων indole singulis scriptoribus de praeceptoribus potissimum pauca addita fuisse arbitratur. Hactenus Wachsmuthius. Sed prioris testimonii explicatio Wachsmuthiana mihi equidem parum adridet: etenim cum Lysimachi illius nomen minus fuerit celebratum quam ut istius modi opus esset distinctione, tum Hermippi Callimachei verba liquido monstrare videntur illic revera agi de Lysimachi praeceptore investigando, non de illo a cognominibus secernendo. Alterum autem exemplum quo res dirimatur aptissimum est: enimvero πίνακεc ipsi in testimonium vocantur, nec Wachsmuthii ratio interpretandi ut nimis artificiosa mihi probatur. Quare ne hic quidem infitias ire possumus Callimachum de Eudoxi magistro quaedam adnotasse. Quid? quod πινάκων indoles ipsa prohibere videtur, ne auctorum nomina et scripta nude posita fuisse opinemur.[15]) Cave tamen hoc munus latius patuisse

[15]) De inmortalibus Callimachi curis pinacographicis sat notum est doctissime disputasse C. Wachsmuthium (Philol. XVI, 653 sq.), deinde Fr. Nietzschium (Mus. Rh. n. XXIV, 189 sq.) hanc rem in transcursu tetigisse, sed parum probabiliter [sic huius de numero CXX librorum πινάκων coniectura iam a Schneidero (Call. II, 304 sq.) merito explosa ab omni veritate abhorret, nec secus illud displicet, quod Callimachum catalogo τῶν κατὰ χρόνουc καὶ ἀπ' ἀρχῆc γενομένων διδαcκάλων ad certam πινάκων partem carmina omnis generis conplectentem 'sese praeparasse' statuit; rectissime vero meo quidem iudicio de ordine catalogi τῶν παντοδαπῶν cυγγραμμάτων disseruit, p. 190, n. 2], tum O. Schneiderum (Call. II, 297 sq.) totam quaestionem retractasse et Wachsmuthio adsentientem et refragantem. Verum singula plenius enarrare vel percensere ab hoc loco alienum est, sed pauca delibare placuit. Ac primum quidem Schneidero (p. 300, 301, 302) nequeo non obloqui ex verbis Tzetzae commentarii in sec. Ambrosiano conprehensi (cf. Ritschelii opusc. phil. I, 200, lin. 2): Καλλίμαχοc — ὑcτέρωc μετὰ τὴν ἀνόρθωcιν τοὺc πίνακαc αὐτῶν ἀπεγράψατο (cl. etiam verba Ambros. primi: ὧν βίβλων τοὺc πίνακαc Κ. ἀπεγράψατο) id elicienti, Callimachum librorum tabulas *a primis* bibliothecae ordinatoribus conpositas in suos πίνακαc postea

suspicere, quasi Callimachus in scriptorum vitam dedita opera inquisivisset: fundamentum tantum iecit, quo posteriores vere biographi (in primis Hermippus) sua superstruxerunt aedificia.

Aperuimus igitur interiorem Suidae notationum et Callimachi πινάκων cognationem: qua enucleata pernecessarium est pristinam germanamqne singularum vitarum formam recuperare.

Quae praefatus iam lyricorum carminum tabulas ipsas examini subiciam. Ac primum quidem indices ex argumento digestos percensere lubet, quem quidem ordinem lyricae poeseos generi utpote maxime convenientem (cf. Wachsmuth. Symb. 149) et Callimachus secutus videtur (cf. eundem Phil. XVI, 661 sq.).[16]) Prae ceteris vero

---

transtulisse in suumque usum convertisse. Cui interpretationi obstrepit sane usus loquendi (vid. Herod. III, 136, Plut. reg. apophth. p. 143), atque ex vocabulo ὑςτέρωϲ bis adhibito (in Ambros. sec. et in gramm. Paris.), quod Schneiderus consulto neglexit, necessario efficitur μετὰ τὴν διόρθωϲιν demum operam institutam esse pinacographicam. Praeterea scholii Plautini verba (p. 6, 3: 'Callimachus — etiam singulis voluminibus titulos inscripsit', quae equidem versionem parum adcuratam non tam verborum gramm. Paris. [p. 6, 15 Cram.], 'ὧν τοὺϲ πίνακαϲ ὕϲτερον K. ἀπεγράψατο' [sic enim scribendum esse duco pro ἐπεγράψατο, Meinek. Praef. ad Call. edit. XV: ϲυνεγράψατο] quam Ambrosiani sec. (ὧν βίβλων τοὺϲ π. K. ἀπεγράψατο esse censeo) adfatim docent singula volumina ante Callimachi operam ad πίνακαϲ nondum relata sed disposita tantum fuisse: eis vero quae infra exposuit Schneiderus (p. 307 sq.), tota eius opinio labefactatur. Qua re inmerito Tzetzae eam vindicavit sententiam (p. 302), ut bibliothecae Alexandrinae catalogos diversos fuisse existumarit a Callimachi πίναξιν, in quibus conscribendis illos adhibuerit. Nec ceteris quidem argumentis id mihi persuasit Schneiderus (p. 303 sq.), cum Callimachum litterarum historiam condere voluisse probatum iret. Num tandem inde quod πίναξ τῶν διδαϲκάλων κατὰ χρόνουϲ dispositus fuisse perhibetur pro certo licet conligere in relicuis scriptoribus adornandis eandem invaluisse rationem chronologicam? Immo ni omnia fallunt ex peculiari illo testimonio contrarium effici potest. Sed omnino nondum perspectum est qualis fuerit indoles huius διδαϲκάλων catalogi a Suida seorsum recensiti; tamen non inepte suspicari possumus hoc ipsum opus a ceteris catalogis seiunctum fuisse, quo quidem Callimachus didascalicis curis Aristotelis locupletissimis adiutus peculiarem scaenicorum poetarum historiam conprehendisse videtur. Atque hoc ipsum fuit quo huius πίνακοϲ ratio a ceteris longe differebat. Horum autem indolem a nostrorum catalogorum ieiunitate multo afuisse sciendum est. Inde etiam illud explicatur quod Callimachus singulorum auctorum nominibus breves de vita subiecit notationes. Tamen hoc munus artissimis limitibus coercitum erat nec tam late patuisse videtur quam Schneidero visum est, quo suam opinionem stabiliri putavit. Certe quae ille de Homeri genere atque aetate disputasse narratur (cf. Call. fr. 390), num ad πίνακαϲ pertinuerint nescitur, neque etiam in φιλοϲόφων ἀναγραφῇ monuit περὶ γλωϲϲῶν Democriti (fr. 29 = Schneid. p. 322), sed proprio opere de iis egit, quod pluribus explanare huc non adtinet. De ceteris rebus quae huc faciunt adi subtilem Wachsmuthii (l. l. 661 sq., Symb. 148 sq.) enarrationem. Denique confer quae his de rebus prudenter exposuit G. Steffen de canon. qui dic. Aristoph. et Aristarchi, Lips. 1876, p. 3 sq. et not. 3, quem deinde secutus est O. Hampe (Ueber d. sog. Kanon der Alexandriner, Progr. Gymn. Jauer. 1877, p. 5 sq.) in eandem sententiam atque Schneiderus inclinans, auctore tamen non nominato. — [16]) Quae

enitet tabula ditissima s. Πίνδαρος . . ἔγραψε δ' ἐν βιβλίοις ιζ' Δωρίδι διαλέκτῳ ταῦτα· (quae nunc enumerantur): quade quanquam docte et sagaciter ut adsolet nuper disputavit Bergkius (Poet. Lyr. Gr. I^4, 367 sq.), tamen omnia nondum ad liquidum perducta videntur. Sed totam tabulam singillatim examinare nolo, immo satis habeo Bergkii sententiam hic illic vel emendasse vel supplevisse. Extant vero duae carminum Pindaricorum recensiones, quarum unam exhibet Suidas (vel ut rectius dicam eius fontes), alteram vitae Pindari (in cod. Vratisl., cf. Westerm. Biogr. p. 98, 43 sq.) auctor atque Eustathius (vid. Westerm. l. l. p. 96, 70 sq., Bergk. l. l. p. 367 sq.). Quae cum ita sint quaestio oritur gravissima, utra harum recensionum vetustiorem habeat originem. Ac Boeckhius quidem (Pind. Opp. II, 2, 553 sq.) Suidianum indicem recentiorem eumque ab Aristarcho profectum esse censet, Aristophani autem Byzantio alterum vindicat, quem Pindari carmina primum in ordinem redegisse statuit. At Schneidewinus (Pind. Carm. ed. Dissen-Schneidewin. I, p. XCVI) pro Aristarchi nomine Callimachum substituit, ceterum in medio reliquit, utram confecerit tabulam. Cuius opinionem ad veritatem multo propius accedere negari nequit. Sed Bergkius primus (l. l. 396 sq.) mutuam inter utramque recensionem rationem acrius perspexit, cum alteram Aristophani adtribueret, vetustiorem esse priorem contenderet. Hanc tamen non a Callimacho alienam esse sibi persuasit, quippe qui cum ita disposita repperisset poetae carmina etiam in tabulas suas recepisset: Suidae vero auctorem ex hoc πινάκων opere Pindaricorum carminum tabulam delibasse. Nec recte Schneidewinum coniecisse a Callimacho talem in Pindari carminibus operam positam esse, quae huius studiis minime conveniret, ut qui non carminum editiones Aristophanis Aristarchi aliorumque instar paravisset sed librorum indices confecisset; neque omnino fuisse consentaneum nova eum moliri, verum res a maioribus traditas sedulo recolere, denique hac recensione ante Callimachum usos esse Aristoxenum Theophrastum Chamaeleontem. Haec quidem Bergkius. Cui statim obiciendum est de Callimachi editionibus hic non agi; is enim libros in bibliotheca servatos et antea ordinatos in πίνακας suos rettulit, qua in re considerandum est multa opera quavis inscriptione caruisse, quam eruere demum et constituere debuit Callimachus. Ergo huius catalogo tabulam iure adsignabimus. Recensionem autem illam iam Peripateticis innotuisse veri dissimillimum est neque ullo nomine Bergkii explanatione probatum (p. 371 sq.): haudquaquam enim exploratum est fragmentum 123 (Bergk.) ex Chamaeleonte, vel fr. 126 ex Ari-

Wilamowitzius (Anal. Eurip. p. 132) de lyricorum et ceterorum scriptorum disponendorum ratione in medium protulit, parum dilucide aut distincte exposita sunt nec omnino probabiliter. Quid enim illud valet: 'scio quid in Suidae fidem infringendam non sine quadam veri specie obverti possit,' vel similia quae pro exploratis venditavit vir ingeniosus?

ɔxeno, vel etiam fr. 128 ex Theophrasto promanasse — id certe lsum est, quod verba Athenaei X, 427 d: λέγω δ' οἷον καὶ Πίν-ροc πεποίηκε κ. τ. λ. evidenter arguunt. Sed omnino Peripatetici Pindari carminum recensione parum solliciti fuisse videntur.

Verum ut ad Suidae tabulam praevertamur, generalem eius visionem talem esse animadvertimus, ut primo loco carmina enu-ɜrentur — in fine enim scribendum videtur ἐπιγράμματα, πάντα ικά, cum volgo legatur ἐ. ἐπικά, quam vocem mendosam esse nullo re Bergkius (l. l. 367, not. 4) contendit in 'ἐπικά' versuum nume-m latitare opinatus; immo est 'versibus conposita', quo de usu cabuli vide e. g. Nietzschium Mus. Rh. n. XXII, 197; cf. etiam ıid. s. Νίκανδρος, Χριςτόδωρος, alibi; respicit autem ad omnes qui tecedunt titulos —, secundo liber pedestri sermone conscriptus αὶ καταλογάδην παραινέςεις τοῖς Ἕλληςι καὶ ἄλλα πλεῖςτα, quae rba extrema haud scio an Suidas ipse suo arbitratu adposuerit). ıoniam vero verbis βιβλία ιζ' sine dubio carmina dumtaxat con-ehenduntur, Suidae autem seu librariorum socordia titulos Νεμεο-κας et Ἰςθμιονίκας omissos esse Kusterus perspexit, poemata re-nsita numerum illum uno excedere patet: quare scribendum esse ιco cκολιὰ ἢ ἐγκώμια, quorum iam Boeckhius et Bergkius (l. l. 373) his illa adnumerarunt. Idem denique carmina ipsa secundum gumentum disposita esse luculenter evicit (p. 370).

Inter ceteras lyricorum poetarum tabulas Theognidea vel gnissima est quae paulo enucleatius excutiatur: Θέογνις Μεγα-ύς.. ἔγραψεν ἐλεγείαν εἰς τοὺς cωθέντας τῶν Συρακουςίων ἐν ἡ πολιορκίᾳ, γνώμας δι' ἐλεγείας εἰς ἔπη ,βω, καὶ πρὸς Κύρνον ν αὐτοῦ ἐρώμενον, γνωμολογίαν δι' ἐλεγείων καὶ ἑτέρας ὑπο-ήκας παραινετικάς, τὰ πάντα ἐπικῶς. Quo de indice plenissime doctissime disputavit Fr. Nietzsche (Mus. Rhen. n. XXII, in-imis p. 188 sq.), tamen huius iudicium in multis iisque gra-ssimis rebus conprobare nequeo. Praecipue autem id demonstrare natus est, Alexandrinis grammaticis carminum Theognideorum vo-men non iam integrum praesto fuisse, unde γνωμῶν conlectionem l tempora quae inter Platonem ac Ptolemaeum Philadelphum inter-cent redire conclusit. Suidae vero notationem ipsam a doctis Ale-ındrinorum studiis repetiit (ceterum cf. quae iam Welckerus ex-ısuit Proleg. in Theognid. edit. p. LXIII sq.); dein rectissime rba in fine glossae adiecta (ὅτι μὲν παραινέςεις κ. τ. λ.) Suidae si tribuit (cf. H. Schneidewin. de syllogis Theognideis, Diss. Ar-ntor. 1878, p. 40 sq.), relicua ab Hesychio Milesio derivavit. ımen in his διττογραφίαν latere coniecit, cum titulus γνῶμαι δι' εγείας εἰς ἔπη ,βω idem esset qui γνωμολογία πρὸς Κύρνον.. ὶ ἕτεραι ὑποθῆκαι παραινετικαί. Ergo Suidam duas Hesychii tationes in unam conglutinasse, quam observationem eo confirmari bitratur, quod in Eudociae violario duae de Theognide glossae currerent. Dehinc illud probare studuit (p. 191—193), Eudociam

usam esse non Suidae sed Hesychii opere. Sed hic paululum subsistamus. Enimvero Nietzschius nequaquam probavit revera conflasse Suidam duos Hesychii articulos (idem sumpsit Bernhardyus, Hist. Litt. Gr. II, 1^3, 529); immo res aliter potest expediri. Nam ut ilico profitear, Suidas vel auctor eius totum opus (γνῶμαι) versuum numero adiecto in fronte tabulae laudavit, deinde singulas eius partes subiunxit: 1) γνωμολογίαν πρὸς Κύρνον. 2) ἑτέρας ὑποθήκας παραινετικάς, in quibus nomina eorum quos poeta adpellaverit olim eodem modo enotata fuisse suspicari licebit.

Deinde vero mihi nondum exploratum est Eudociam ab Hesychio Milesio totam pendere; immo rem sic sese habere credo, ut docta mulier et Hesychii et Suidae thensauros despoliaverit.[17]) Praeterea

[17]) Quod uberiore argumentatione probari vetant conmentationis angustiae; quare pauca delibasse sufficiat. De fontibus quos Eudocia consuluerit hominum doctorum opiniones in duas partes abeunt, cum alii velut Bernhardyus (Conm. de Suid. lex. p. XXVIII, XXXI), Ric. Nitzschius (p. 28 sq.), Usenerus (Mus. Rh. n. XXVIII, 417) e Suidae lexico Eudociam pleraque deprompsisse, alii iique plurimi, ut M. Schmidtius (Didym. 392, et Annal. phil. t. 71 (a. 1855), p. 474), Roseus (De Ar. libr. o. et a. p. 50), H. Weberus (Philol. Suppl. III (1864), p. 469, n. 35), prae ceteris autem Fr. Nietzschius (l. l. 189 sq.) et nuperrime H. Flachius (Untersuch. üb. Eudok. u. Suid. Lips. 1879, p. 37 sq.) onomatologum Hesychianum communem Suidae Eudociaeque fontem fuisse autument. Quibus omnibus possum neque adsentiri neque obloqui. Totam vero quaestionem qui nunc retractandam suscepit Flachius praeiudicata opinione plane abreptus ad eandem omnia normam eadem fere putida sedulitate exegit nec in re ipsa enucleanda multum profecit, quantumvis chartae fuerit prodigus. Flachii tamen librum explicatius enarrare ac percensere mox alibi conabor. Maiore contra cautione ac prudentia R. Nitzsche (Quaestt. Eudoc. capp. IV, Lips. 1868) rem adgressus est, cuius disputationis ordini quae nunc proponam adconmodare liceat. Ac primum quidem tenendum est excerpta Eudociana praecipue in adferendis singulorum scriptorum operibus interdum esse auctiora (p. 30, 31): quae partim ipsam addere potuisse Nitzschio largior, plurima non item (p. 32, 33). Quorum additamentorum indolem si consideraveris, non pauca neminem suppeditare potuisse nisi Hesychium facile dispicies. Recte porro N. (p. 34—35) de Eudociae narrationibus ad fabularem historiam pertinentibus sensisse videtur; id tamen probare haud contigit (p. 36—40) Eudociam multas narrationes Suidianis manifesto vetustiores e propriae doctrinae dotibus adiecisse, quae omnes fere unice Hesychio debentur. At non desunt indicia sane quam gravissima, quibus illam Suidae thensaurum in usum suum convertisse luculenter evincitur. In 'violario' nimirum antistoichici quem nuncupant ordinis tot vestigia N. detexit (p. 41—43), ut amplius dubitari nequeat quin plurimas vitas hauserit ex lexico ratione antistoichica adornato, quod aliud fuisse arbitrabimur nisi Suidianum? Sed haud mediocriter demiror quod Flachius huius rei singularis parum habuit rationem. Huc adprime convenit quod Eudocianae scripturae cum deterioribus libris Suidae multifariam concinunt, neque etiam ab erroribus in quos Suidas incurrit illa cavit (p. 43 sq., sed s. Διογενειανός iusto simplicius N. rem expedire conatus est; cf. Rohdium Mus. Rh. XXXIII, 180), qua in re id N. potuit urgere, quod Eudocia una cum Suida in glossa Μέλητος describenda eodem modo turpiter erravit. Quibus ponderatis Eudocia Suidae lexicon usurpasse mihi videtur, ita tamen ut Hesychii

Nietzschius ingens turpium errorum onus parum caute Hesychio ipsi imposuit, quorum plurimos nemo nisi Suidas Eudociave conmisisse mihi videntur. Sed plane praepostere de duabus Eudociae glossis cogitavit. Ubi tandem Theognidis bis memoriam iniecit erudita mulier? Nimirum hunc primum recensuit in grege eorum hominum, quos doctrina non insignes ceteris praemisit: posteaquam enim de Theognide Atheniensium tyranno egit, statim Theognidis poetae memoriam adnexuit (ceterum cf. Flach. l. l. p. 83). Quae glossa in brevius contracta cum Suidiana convenit remoto quidem in fine cum Nietzschio (p. 194) errore (ἔγραψε δὲ καὶ γνώμας παραινετικάς). Adparet autem illam utpote ex Suida conflatam (nescio an ipsa Eudociae manu) quavis auctoritate esse inmunem. Nec minus in aperto est Eudociam ex eodem alteram glossam s. Θέογνις (ποιητής) p. 232 deprompsisse, nisi quod paulo aliter eam excerpsit. Quare temere ille opinatur huius verba 'γνώμας δι' ἐλεγείας· εἰς ἔπη ,βω' ex priore articulo adglutinata esse. Utramque igitur glossam Eudocianam cum Suida conspirare patet. Unde consequitur Nietzschii molimen quo duas glossas Hesychio reddidit plane cassum esse, nec non ceteras eius ratiocinationes omni carere fundamento.[18]) Sic conruit etiam ista opinio quam priore glossa perpensa mente concepit: cuius auctori et γνωμῶν syllogam et unam elegiam, non carmina integra omnia innotuisse existumat. Nec vero conpertum habemus quot elegias Theognis conscripserit (p. 198, vid. Welcker. Proll. in Theogn. XV sq.), perinde atque incertum est elegiam in Syracusanos conpositam genuinorum carminum fuisse particulam vel γνώμας ex his ipsis esse excerptas. Horum omnium argumentorum nervum admodum laxum esse per se ipsum intellegitur. Nec Leutschium (Philol. XXX, 232) quidem Nietzschii disputationem conprobasse video, quanquam argumenta addere supersedit (ceterum cf. etiam F. Ramorino Rivist. di filolog. IV, 1—49, 238—249). Hic tamen ipse suam de singulis Theognidis carminibus sententiam parum perspicue neque ad persuadendum adposite in chartam coniecit. Namque tria maiora carmina voluit distingui (p. 207), primum elegiam in Syracusanos, qua-

---

onomatologum et conrigendi et locupletandi causa consuluerit. — [18]) Sic ut uno exemplo evincat (p. 195) in πίνακας Theognidem bis esse relatum, ad gl. Ἐπίχαρμος nos relegat, ut cuius bis fecerit mentionem Eudocia. Quo nil probatur, cum priorem ex Suida (s. ex Hesychio), alteram ex Laertio VIII, 78 ipsa deprompserit. Ergo perperam conlegit Theognidis memoriam et in ἀναγραφῇ τῶν ποιητῶν et in ἀ. τῶν φιλοσόφων illam repperisse. Nec minus prave coniecit in φιλοσόφων ἀναγραφῇ Phocylidem subsecutum esse Theognidem, propterea quod ille φιλόσοφος et σύγχρονος Suidae adpellaretur, ac plane incredibile est alterum quem posuit (p. 194) Hesychii articulum propter aetatis definitionem suppressam ex tali ἀναγραφῇ fluxisse. Quid? quod Diltheyi (Mus. Rh. XVIII, 150 sq.) coniecturam ἠθικῶς pro ἐπικῶς in ordinem recepit: sed vocabulum illud 'in versibus' est, quo omnes ὑποθῆκαι versibus conpositae fuisse disertim notantur, cf. s. Νίκανδρος, Πίνδαρος, sim. (cf. supra p. 423).

cum conposuit ὑποθήκας a Suida in fine conmemoratas, deinde elegias (p. 522), quibus omnia quae non ad Cyrnum pertinent conprehendit, tum γνωμολογίαν πρὸς Κύρνον, quam olim ὑποθήκας (πρὸς Κύρνον) inscriptam fuisse statuit. Qua in enarratione paria disparibus admixta esse liquet, sed singula refellere nunc displicet.

Attamen ut huius rei summam conplectar: Si verum expiscari volumus, Suidae notationem totam considerare debemus neque in duas particulas discerpere. Quam ob causam sagacissimo homini hoc minime probare contigit, Alexandrinis grammaticis non iam carmina integra sed syllogam dumtaxat γνωμῶν innotuisse. Itaque ne id quidem quo praecipue intendit demonstravit, poematum conlectionem quam hodie manibus terimus inter Platonis Ptolemaeique aetatem conpositam esse (cf. etiam H. Schneidewinum l. l. 32 sq.).

Totam vero Suidae glossam, non unam tantum partem — cuius pristinam originem Nietzschius (p. 200) perspexit, qui etiam ex Plat. Legg. I, p. 630 A iure conlegit Suidae de Theognidis patria testimonium non Didymo (quod parum recte Schmidtius [Didym. p. 394] sumpserat), sed grammatico vetustiori, i. e. Alexandrinorum aequali, posse adscribi — ex Alexandrinorum catalogis oriundam esse nemo diffitebitur. His denique pauca subiungere placet. Welckerus[19a] (Proll. in Theogn. p. LXIII) quidem tres titulos a Suida adlatos (γνώμας, γνωμολογίαν, παραινέσεις) unum eundemque librum fuisse contendit, sed aliter equidem sentio, cum universam operis Theognidei inscriptionem γνώμας δι' ἐλεγείας fuisse arbitrer, quarum partes fuerint et γνωμολογία πρὸς Κύρνον (καὶ[19b]) πρὸς Κύρνον.. γνωμολογίαν) et ceterae Suidae manu coartatae ὑποθῆκαι (καὶ ἑτέρας ὑ.).[20])

[19a]) Cui nuperrime adstipulatus est J. Sitzlerus (Theognidis Reliqu. Heidelb. 1880, p. 51). — [19b]) Nam particulae καί — καί divisionem efficiunt, cf. s. Πανόλβιος, s. Κόριννα, al. — [20]) Quibus dubitanter addo tabulam s. Θεόκριτος exhibitam, quam ad vetustiores fontes redire inde elucet, quod Theocriti carminum tertia eaque novissima sylloga, cuius auctorem Ahrensius (Philol. XXXIII, 400 sq., 579 sq.) Eratosthenem quendam (ca. a. 400 p. Chr.) sagaciter exploravit (sed vide nunc Vahlenum Ind. aest. lectt. Berol. 1876, p. 5); aliquot a Suida enumerata poemata non conplectitur diversamque etiam prodit ordinandi rationem (p. 582 sq.) Idem Ahrensius Suidae indicem satis vetustum esse disertis verbis monuit (p. 586, ubi de mutua inter metaphrasin Marianam Theocriteaque carmina ratione longe probabiliora quam Haulerus [de Theocr. vit. et carm. Friburg. 1855, p. 31 sq.] proposuit). Atque ipse suspicor hanc tabulam niti Alexandrinorum catalogis, quorum quidem aetate nondum conlecta illa vel in unum corpus consociata erant (cf. Ahrens. 391 sq. Haul. 31 sq.). In tabula vero ipsa hunc fere ordinem animadvertisse mihi videor, ut primo loco ponerentur carmina bucolica, secundo duo peculiares ἐλεγείων tituli, tertio ὕμνοι, Ἡρωῖναι, ἐπικήδεια, cum argumenti similitudine omnia inter semet conexa tum maxime epico generi adfinia, ultimo μέλη, ἐλεγεῖαι, ἴαμβοι, ἐπιγράμματα inter lyrica poemata referenda (cf. Theocr. carm. ed. Fritzsche, p. 6 adn., Bergk. Mus. Rh. VI (1838) 23 sq.), id quod hic pluribus explicare longum est. Sed prodere videtur haec tabula ordinem argumento carminum adpositum, licet mediocriter dilucidum Suidaeque describentis socordia conturbatum.

Quibus expositis ceterorum lyricorum tabulae iam brevius possunt percenseri. Ordinem nimirum ex argumento librorum institutum pariter deprehendimus in indice s. Cιμωνίδης Ἰουλιήτης· . . καὶ γέγραπται αὐτῷ Δωρίδι διαλέκτῳ ἡ Καμβύσου καὶ Δαρείου βασιλεία καὶ Ξέρξου ναυμαχία· καὶ ἡ ἐπ᾽ Ἀρτεμισίῳ ναυμαχία δι᾽ ἐλεγείας, ἡ δ᾽ ἐν Cαλαμῖνι μελικῶς, θρῆνοι, ἐγκώμια, ἐπιγράμματα, παιᾶνες, καὶ τραγῳδίαι καὶ ἄλλα. Tamen non satis iustam causam dispicio, cur Bergkius (P. L. G. [3] p. 1145) una cum Bernhardyo elegiae ἡ Καμβύσου — βασιλεία nomen errore Suidae natum esse opinetur, cum Simonidis aetate Cambyses et Dareus regnaverint. Verba deinde καὶ ἡ ἐπ᾽ Ἀρτεμισίῳ ναυμαχία ex Eudociae violeto volgo supplent (cf. Bergk. l. l.), sed nescio an magis conmendetur Wachsmuthii coniectura locum sic reconcinnantis 'Ξέρξου ναυμαχίαι, ἡ ἐπ᾽ Ἀρτ. μελικῶς, ἡ δ᾽ ἐν Cαλ. δι᾽ ἐλεγείας': recte enim Bergkius vocum μελικῶς et δι᾽ ἐλεγείας sedem hunc in modum permutandam esse vidit, cum Bernhardyi (vid. ad Suid.) sententia prorsus reicula sit. At idem iure titulum τραγῳδίαι in suspitionem vocavit tanquam mero conmento enatum.

Sed ad litterarum ordinem recensentur scripta s. Παρθένιος.. ἐλεγειοποιὸς καὶ μέτρων διαφόρων ποιητής . . ἔγραψε δι᾽ ἐλεγείας· (sic optime emendavit Schneiderus Call. II, 32, cf. Wachsm. Symb. 152, et not. 44, cum volgo exhibeant δ᾽ ἐλεγείας) Ἀφροδίτην, Ἀρήτης ἐπικήδειον, Ἀρήτης ἐγκώμιον (de quibus cf. Meinek. Anal. Alex. p. 259 sq.), καὶ ἄλλα πολλά, quibus plenioris tabulae ex bibliothecae catalogo petitae initium servatum est. Videtur autem qui tabulam confecit singulas elegias primum enumerasse κατὰ cτοιχεῖον dispositas, dein cetera poetae carmina (velut Ἐρωτικά), quae Suidas describere noluit. Accedimus ad glossam s. Μίμνερμος, quae indice sane orbata haec verba in calce praebet: ἔγραψε βιβλία ταῦτα πολλά: quae quamvis difficillima plerisque visa sint, res tamen ipsa perspicua est (cf. Westerm. Βιογραφ. p. 110, qui varias opiniones congessit). Nimirum largam tabulam liquido indicant, quam Suidas sive librarii eius describere noluerint. Dionysium vero, credo etiam Hesychium, plenum indicem exhibuisse nec non verba βιβλία ταῦτα (πολλά) dedisse mihi equidem persuasum est: quae cum tabula non adiecta haud satis apta viderentur, in Eudociae violario Suidaeque aliquot libris vox ταῦτα prudenter omissa est. Sed displicet utique Volkmanni (II, 727 sq.) explicatio ex vita Mimnermi carminibus praefixa talia fluxisse censentis; quae si vera esset, dici certe debuit: ἔγραψε βιβλία ταῦτα καὶ ἄλλα πολλά. Nec felicius Bergkio res cessit verba illa Suidae αὐτοσχεδίασμα esse simpliciter statuenti; ceterorum autem opiniones iam a Volkmanno confutatas silentio premere praestat. Nuper denique Guil. Meyerus (Mus. Rh. n. XXIII, 691) τοιαῦτα suasit eamque vocem ad ἐμμελὲς καὶ λιγύ referri iussit, quam coniecturam ideo reprobo, quod duo enuntiata tali nexu copulare non adsolet Suidas (at paulo aliter res se habet in gl. Εὔδοξος . .

καὶ ἔϲχε πρὸϲ ἀϲτρολογίαν . . ἔγραψέ τε πλεῖϲτα τοῦ εἴδοι τούτου).

Progredimur ad tabulam quae extat s. Cαπφώ[21]) . . ἔγραψ μελῶν λυρικῶν βιβλία θ'. καὶ πρώτη πλῆκτρον εὗρεν. ἔγραψ δὲ καὶ ἐπιγράμματα καὶ ἐλεγεῖα καὶ ἰάμβουϲ καὶ μονῳδίαϲ, ul verba μελῶν λυρικῶν βιβλία θ', quibus quot libris constiterint μέλ disertum profertur testimonium, πίναξιν adsignare nemo dubitabi Quaeritur autem num relicua mentione plectri a Sapphone inven interiecta ex eodem limpido fonte promanaverint (cf. A. Schoeniu Symb. Phil. Bonn. p. 760). Nego, quamvis litterarum seriem tenean eidemque illa auctori adtribuo, cui verba καὶ πρώτη πλῆκτρον εὗρε debentur. Volkmannus contra (II, 728) utriusque testimonii eam ess rationem statuit, ut primo loco nobilissimum Sapphonis opus, secund cetera minus celebrata vel citius oblitterata (ἔγραψε δὲ καὶ . .) e hibeantur. Quod fieri sane potuit, nec strenue Volkmanni rationi pe belle excogitatae obloquor; tamen si utrumque eodem ex fonte fluxiss verum est, cur tandem ab Hesychio verba καὶ πρῶτον κ. τ. λ. inte posita esse censebimus? — Sed Volkmanno (l. l.) prorsus refragc eadem ratione explicanti, quod s. Φιλόξενοϲ primum conmemorentu διθύραμβοι κδ', dein de vita eius paucis enarratis ad operis alicuiu mentionem iterum deflectat oratio idque his verbis: ἔγραψε δὲ μελι κῶϲ τὴν γενεαλογίαν τῶν Αἰακιδῶν. Satis enim dilucidum est tota glossam duabus particulis contineri, quarum alteram (usque a οὗτοϲ ἀνδραποδιϲθέντων) auctori pinacographico, uberiorem altera Hermippo Berytio (cf. Wachsmuth. l. l. 142) vindico. Sequitur tabul s. Τιμόθεοϲ[22a]) exhibita, quae quamvis truncata pristinae tame

[21]) Qua in glossa diversorum auctorum testimonia in unum cor glutinata sunt. Sapphonis autem vitae enarrandae solidum fundamentu grammatici Alexandrini iecerunt, a quibus nomen patris matris patria aetas, opera denotata fuisse videntur (cf. Schoen. l. l. 741). His accedun quae ab aliorum studiis sive inventis repetenda sunt, velut quae d nominibus patris fratrum familiarium discipulorum, vita, rebus poetria proferuntur, offensionis illa haud inmunia (cf. Schoen. 759, qui quider originem verborum ἐγαμήθη — Εὐνείκα ad mediam revocat comoediam) cetera referenda videntur ad Chamaeleontem (περὶ Cαπφοῦϲ Ath. VII 599 c), sive ad Calliam (ὁ τὴν Cαπφὼ καὶ Ἀλκαῖον ἐξηγηϲάμενοϲ Strab XIII, p. 618). — [22a]) Hic de Timothei temporibus paucis exponendur esse videtur. Haec enim apud Suidam leguntur: Τιμόθεοϲ . . ἦν δ' ἐπ τῶν Εὐριπίδου χρόνων, καθ' οὓϲ καὶ Φίλιπποϲ ὁ Μακεδὼν ἐβαϲι λευεν: mirum profecto ϲυγχρονιϲμόν inter Euripidem et Philippum posui Suidas, nec difficile erat cum Reinesio vocem Φίλιπποϲ in Ἀρχέλαϲ conrigere. Quod tamen cum Rohdio (Mus. Rh. n. XXXIII 192, n. 1) in probo, cum tale erratum librariorum oscitantiae inputari nequeat. Se verborum illorum patrocinium Rohdius (p. 191 sq.) suscepit eaque si explicavit, ut in vacuo temporum interstitio, quod inter extremam ἐποχὴ τῶν Πελοποννηϲιακῶν et Philippi regnum intervenit, huius regnum lumin instar fuisse sumpserit, quod Suidae vel rectius eius auctoribus in tempc ribus definiendis praefulserit, conl. s. Καρκῖνοϲ . . ἤκμαζε κατὰ τὴν ρ ὀλυμπιάδα (cf. Meinek. F. C. G. I, 507) πρὸ τῆϲ Φιλίππου βαϲιλείαϲ;

originis etiamnum prae se fert vestigia: .. γράψας δι' ἐπῶν νόμους μουσικοὺς ιθ', προοίμια λϛ' (ex Stephano Byzantio s. Μίλητος, qui Philone Byblio auctore Timotheo ιη' βιβλία νόμων κιθαρῳδικῶν et προνόμια ἄλλων (?) χίλια adscripsit, nihil lucramur), Ἄρτεμιν, διασκευάς η', ἐγκώμια, Πέρσας ἢ Ναύπλιον, Φινείδας, Λαέρτην, διθυράμβους ιη', ὕμνους κα', καὶ ἄλλα τινά, in quibus et generales et peculiares titulos una serie conprehensos esse Bergkius (P. L. G.[3] p. 1268) recte perspexit, cum Ἄρτεμις hymnus fuerit (vide Alex. Aetol. ap. Macrob. Sat. V, 22), Persae νόμος (Paus. VIII, 50, 3), Laertes et Phinidae vel ad νόμους vel ad διθυράμβους

Ἔφορος .. ὡς καὶ πρὸ τῆς Φιλίππου βασιλείας εἶναι: unde conlegisse videtur tum quoque cum certa ἐποχή indicari potuit Philippi aetatem termini vicibus functam esse. Ea vero exempla num ad pravam istam chronologiam tuendam quicquam valent? Minime, opinor. Nec mihi quidem ratio illa satis fecit, qua Rohdius intellexit Ephori συγχρονισμόν. Vocabulo ἦν (δ' ἐπὶ τῆς ϙγ' ὀλυμπ.) nil aliud nisi annus natalis significatur; ac quamvis locutio ἦν pro γέγονε (ἐγένετο) volgo non adhibita sit, Suidae tamen inscitiae eiusmodi usum tribui posse Rohdio (p. 191) largior: Ephori enim 'historiam' usque ad vicesimum Philippi regni annum (340) quo Perinthum oppugnavit pertinuisse ex Diodoro (XVI, 76) adparet. Ergo Ephori ἀκμή in olymp. 93. poni nequit. Sed quid sibi volunt verba 'ὡς καὶ πρὸ τῆς Φιλίππου βασιλείας εἶναι'? Non dubium est quin de Ephori aetate duo testimonia praesto fuerint Hesychio: 1) annus natalis, 2) ἀκμή sive omnino aetas eius ad tempora Philippi relata, quoniam E. res sub imperio eius per viginti annos gestas descripsit. Quibus testimoniis usus Suidas ait: 'natus est Olymp. 93, ita ut etiam ante Philippi regnum fuerit' (i. e. floruerit), non solum igitur sub regno Philippi ipso. Quare in promptu fuit talem Ephori συγχρονισμόν constituere. — Sed in altera notatione s. v. Καρκῖνος Rohdianam rationem conprobo, etiamsi ne hoc quidem exemplo Suidae istae ineptiae defendi queant. Quid enim? In utraque vita per Philippi imperium terminus denotatur, ante quem scriptores illi fuerunt. Num hoc convenit locutioni: 'floruit Th. Euripidis temporibus, quibus (vel 'circa quae') etiam Philippus regnavit?' Si Suidas scripsisset 'ὡς πρὸ τῆς Φ. β. εἶναι', sive etiam 'καθ' οὓς οὔπω Φίλιππος ἐβασίλευεν', haec verba forsitan pateremur. — Sed nunc Rohdius ipse hanc totam opinionem abiecisse videtur (cf. Mus. Rh. n. XXXIV, 573, n. 2): inde nimirum quod Timotheus sub Philippi imperio vixisse dicatur cum Bernhardyo conlegit Suidam (s. Hesychium) hic plane alium Timotheum — quem auletam fuisse et Philippi Alexandrique aetate floruisse autumat — perperam inmiscuisse. Quae coniectura quamvis acutissime excogitata ab omni tamen probabilitate abhorret (cf. n. 22, b). Omnia nimirum apte procedent, si leni transpositione cum Wachsmuthio 'καὶ καθ' οὓς Φίλιππος' restituerimus; fuit Euripidis aequalis T., sed vixit etiam regnante Philippo — id quod verum est: adtigisse eum certe testatur marmor Parium epoch. 76. Tim. nonagenarium (septem etiam plus annos tribuit ei Suidas); cumque in Macedonia mortem obierit (teste Philone Byblio ap. Steph. Byz. s. Μίλητος), extrema aetate in aula regia Pellaea vixisse eum veri simile est. Quae coniectura multo sane probabilior est quam quod ego olim suspicabar, Suidam ipsum verba illa dormitanter adiecisse, ita quidem ut mutuae inter Euripidem regesque Macedonum necessitudinis haud inmemor nobilissimum ante Alexandrum regem Philippum pro vero Archelao substituerit.

(cf. Arist. Poet. 2) pertinuerint. Idem porro cum Bipparto (conl. Athen. VIII, 338 a) Ναυτίλον ἢ Ναύπλιον redintegravit, denique plenum titulum Cεμέλης ὠδίς (Dio Chrys. 77, 768) fuisse coniecit. Qua re pensitata in Alexandrinorum catalogis Timothei carmina secundum argumentum disposita, singulorum autem librorum inscriptiones ex litterarum ordine — cuius vestigia in Suidae tabula non latitant — recensitas fuisse credo, quas Suidas eiusve auctor non integras (καὶ ἄλλα τινά) neque sedulo descripserint.[22b])

Ceteri lyricorum carminum indices partim eandem atque quos supra percensuimus prae se ferunt indolem, partim inter semet ipsos id conmune habent, quod librorum seu versuum numerus his illis de metro dialectove notulis adnexis distincte indicatur, quo fides horum testimoniorum non nihil firmatur[23]), velut s. Ἀλκμάν .. ἔγραψε βιβλία ϛ′ μέλη .. κέρχηται δὲ Δωρίδι διαλέκτῳ .., s. Ἀνακρέων, qua in glossa vetustiorem et sequiorem auctorem dignoscere possumus; verba enim βίος δ' ἦν — Ἀνακρεόντεια manifesto recentioris hominis sunt (cf. Welcker. Praef. Theogn. LXXIV), cum anteriora ἔγραψεν ἐλεγεῖα καὶ ἰάμβους Ἰάδι πάντα διαλέκτῳ priscam redoleant originem; s. Ἴβυκος .. ἔστι δ' αὐτοῦ τὰ βιβλία ζ′ τῇ Δωρίδι διαλέκτῳ; s. Κόριννα (de Corinnarum quae feruntur nominibus adi Welckerum in Creuzer. Melet. crit. II, 16) .. ἔγραψε βιβλία ε′, (hic nimirum velim interpungas) καὶ ἐπιγράμματα καὶ νόμους λυρικούς; s. Cτησίχορος .. ἔστιν αὐτῷ τὰ ποιήματα Δωρίδι διαλέκτῳ ἐν βιβλίοις κϛ′; s. Τυρταῖος .. ἔγραψε πολιτείαν Λακεδαιμονίοις καὶ ὑποθήκας δι' ἐλεγείας καὶ μέλη πολεμιστήρια, βιβλία ε′.

Haec de lyricorum notationibus satis sunto; quae praeterea in eo genere conlegi, in praesens mittere placuit.

[22b]) Sagacissime nuper hac de tabula Stephani Byz. (s. Μίλητος) indiculo simul adhibito disputavit Rohdius (l. l. 572, n. 2), qui Timothei νόμους (una cum titulis peculiaribus) et διθυράμβους, itemque προοίμια et ὕμνους eadem carmina fuisse ratus Suidam duo Timothei πίνακας conflasse coniecit, titulos autem διασκευαὶ ῆ et ἐγκώμια Timocli auletae (vid. not. 22, a) adsignavit. Quae omnia quam incerta sint ipse fatetur; sed omnino non ausim Stephani tabula nixus — quam mutilam esse credo — emendare Suidianam: neque enim hi duo indices artius cohaerere mihi videntur. — [23]) Sed noli titulo confidere quem Suidas s. Ἀρίων exhibet, προοίμια εἰς ἔπη ͵β, quem numerum mere effictum esse Hillerus (Mus. Rh. l. l. 522) perspexit. Praeterea Periandri carminis notitia (ὑποθῆκαι εἰς τὸν ἀνθρώπειον βίον ἔπη ͵β, cf. Laert. I, 97) ob singularem versuum numerum admodum suspecta ex Lobonis Argivi opere (περὶ ποιητῶν) fluxisse videtur (cf. Hiller. l. l. p. 520, 524 sq.). Nec minus in tabula s. Πιττακός titulus ἐλεγεῖα ἔπη χ′ in gravissimam cadit offensionem.

Caput V.

De Philonis Byblii auctoritate.

Postquam Dionysii Halicarnassensis tanquam primarii Hesychii in vitis poetarum et musicorum ducis auctoritatem fidemque exploravimus, nova nunc existit eaque subdifficilis quaestio, quibus ex fontibus Hesychius oratorum et sophistarum, grammaticorum, historicorum, philosophorum notationes, in his cum maxime librorum tabulas hauserit. Ac primum quidem eorum hominum inlustrium qui inde a primo a. Chr. saeculo exeunte usque ad Hadriani aetatem floruerunt vitas temporum nota distinctas intentius considerare in animo est.

In recensendo grammaticorum grege Hesychium luculento auctore sive auctoribus Hadriani aetatis usum esse iam Wachsmuthius (Symb. 144 sq.) probabili ratiocinatione effecit: inter quos *Philonem Byblium* prae ceteris enitere perspexit, tamen adcuratiorem huius auctoritatis investigationem aliis relinquere maluit. Nec vero eundem id fugit (p. 145), observationem illam non solum intra grammaticorum fines contineri, sed multo latius patere. Quod ut palam fiat, gravissima quaeque exempla quorum communis fere indoles singularem sibi vindicat auctorem in uno conspectu ponam. Qua in re quatenus licebit sequar ordinem chronologicum.

s. Τιμαγένης . . Ἀλεξανδρεύς, ῥήτωρ . . ὃς ἐπὶ Πομπηίου τοῦ μεγάλου αἰχμάλωτος ἀχθεὶς ἐν Ῥώμῃ ὑπὸ τοῦ Γαβινίου ἐξωνήθη . . καὶ ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ τ᾿ αὐτοῦ Πομπηίου καὶ μετ᾿ αὐτόν, ἐπί τε Καίσαρος τοῦ Αὐγούστου καὶ μετέπειτα ἅμα Κεκιλίῳ . . (cf. s. Πωλίων ὁ Ἀσίνιος).

s. Τυραννίων ὁ νεώτερος . . μαθητὴς Τυραννίωνος τοῦ πρεσβυτέρου . . αἰχμάλωτος δὲ γενόμενος καὶ αὐτὸς ἐπὶ τοῦ πολέμου Ἀντωνίου καὶ Καίσαρος . . ὠνήθη . . ἐλευθερωθεὶς . . ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ . ., conl. etiam s. Τυραννίων Ἀμισηνός.

s. Διοσκορίδης . . ἰατρός, συνῆν δὲ Κλεοπάτρᾳ ἐπ᾿ Ἀντωνίου (cf. s. Κάστωρ Ῥόδιος et s. Ἰόβας).

s. Διόδωρος Σικελιώτης, ἱστορικός . . γέγονε δ᾿ ἐπὶ τῶν χρόνων Αὐγούστου Καίσαρος καὶ ἐπάνω.

s. Θέων Ἀλεξανδρεύς, φιλόσοφος, γεγονὼς ἐπ᾿ Αὐγούστου μετ᾿ Ἄρειον.

(Cf. etiam s. Φλέγων Τραλλιανός, ἀπελεύθερος τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος, οἱ δ᾿ Ἀδριανοῦ φασιν, ἱστορικός.)

s. Διονύσιος . . Ἁλικαρνασσεύς, ῥήτωρ καὶ παντοίως λόγιος. γέγονε δ᾿ ἐπὶ Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ, πρόγονος τοῦ ἐπ᾿ Ἀδριανοῦ γεγονότος Ἀττικιστοῦ.

s. Ἑρμαγόρας Τήμνου . . ἐπαίδευσε δ᾿ οὗτος μετὰ Κεκιλίου ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Καίσαρος Αὐγούστου καὶ τελευτᾷ πόρρω τῆς ἡλικίας.

s. Κεκίλιος . . ῥήτωρ, σοφιστεύσας ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος καὶ ἕως Ἀδριανοῦ (hoc fidem excedit. Locum non magis integrum quam emendatum esse ait Bernhardyus. Quare nescio an verba sic reconcinnanda sint: καὶ εἷς τῶν ἕως Ἀδριανοῦ, cl. s. Διονύσιος ὁ Γλαύκου et s. Ἀρχίβιος, cf. praeterea Rohdium Mus. Rh. n. XXXIII, 175 med.), καὶ ἀπὸ δούλων, ὥς τινες ἱστορήκασιν.

s. Ποτάμων Ἀλεξανδρεύς, φιλόσοφος, γεγονὼς πρὸ Αὐγούστου καὶ μετ' αὐτόν (quae verba extrema alii aliter conrexerunt, vid. Bernh. ad Suid. et Rohdium Mus. Rh. n. XXXIII, 166, not. 1) nuper coniecit κατ' αὐτόν. Sed illa non tam absona sunt ut mutatione indigeant. Nam si Potamon et ante Augustum et post eum floruit, hunc etiam sub Augusti imperio vixisse sua sponte intellegitur); cf. s. Λεσβῶναξ . . φιλόσοφος, γεγονὼς ἐπ' Αὐγούστου (?), πατὴρ Ποτάμωνος τοῦ φιλοσόφου (qua de glossa vide egregie disputantem Rohdium d. griech. Roman. p. 342, not.).

s. Νικόλαος Δαμασκηνός, γνώριμος Ἡρώδου . . καὶ Αὐγούστου Καίσαρος (ceterum cf. Mus. Rh. n. XXXV, 63 sq.).

s. Διονύσιος ὁ περιηγητής . . γέγονε δ' ἐπὶ τῶν Ῥωμαϊκῶν χρόνων μετ' Αὔγουστον Καίσαρα, ἢ ἐπ' αὐτοῦ, οἱ δὲ κατὰ Νέρωνα τὸν Ῥωμαίων βασιλέα φασὶ γενέσθαι.

s. Στράβων Ἀμασεύς, φιλόσοφος, γέγονεν ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος.

s. Θεόδωρος Γαδαρεύς, σοφιστής, ἀπὸ δούλων, διδάσκαλος γεγονὼς Τιβερίου Καίσαρος. ἐπὶ τοῦ δὲ (sic enim conrigendum est pro ἐπεὶ δέ, vid. Mus. Rh. l. l. 66) συνεκρίθη περὶ σοφιστικῆς ἀγωνισάμενος Ποτάμωνι καὶ Ἀντιπάτρῳ ἐν αὐτῇ τῇ Ῥώμῃ. ἐπ' Ἀδριανοῦ Καίσαρος ὁ υἱὸς αὐτοῦ Ἀντώνιος συγκλητικὸς ἐγένετο.

s. Ποτάμων Μυτιληναῖος . . ῥήτωρ . . ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Καίσαρος Τιβερίου κ. τ. λ.

s. Ἀπίων ὁ Πλειστονίκου . . Αἰγύπτιος, κατὰ δ' Ἑλικώνιον Κρής, γραμματικός, μαθητὴς Ἀπολλωνίου τοῦ Ἀρχιβίου . . ἐπαίδευσε δ' ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος καὶ Κλαυδίου ἐν Ῥώμῃ. ἦν δὲ διάδοχος Θέωνος τοῦ γραμματικοῦ καὶ σύγχρονος Διονυσίου τοῦ Ἁλικ.

s. Σαλούστιος . . ἰατρός, ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος.

s. Πολύαινος Σαρδιανός, σοφιστής, γεγονὼς ἐπὶ τοῦ πρώτου Καίσαρος Γαΐου (sed cf. nunc Rohdium Mus. Rh. n. XXXIV, 620).

s. Ἀντέρως ὁ καὶ Ἀπολλώνιος, γραμματικός, παιδεύσας ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Κλαυδίου τοῦ μετὰ Γάϊον βασιλεύσαντος, ἐφ' οὗπερ καὶ Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς γέγονεν, ἀκουστὴς δ' ἦν Ἀπίωνος τοῦ Μόχθου.

s. Ἡρακλείδης Ποντικός . . γραμματικός . . εἰς Ῥώμην δὲ κομίσας καὶ τοῦ Ἄπερος καταφανεὶς (fortasse κατεκφανεὶς sive κατεκφανής, cf. s. Λούπερκος· . . . κατευδοκιμεῖ Ἡρωδιανοῦ) κατέμεινε σχολαρχῶν ἐν αὐτῇ ἐπὶ Κλαυδίου καὶ Νέρωνος.

s. Ἀπολλώνιος Τυανεύς, φιλόσοφος . . ἤκμαζε μὲν ἐπὶ Κλαυδίου καὶ Γαΐου καὶ Νέρωνος καὶ μέχρι Νέρβα, ἐφ' οὗ καὶ μετήλλαξεν (cf. etiam s. Ἀππιανός et s. Δίκτυς).

s. Δίδυμος ὁ τοῦ Ἡρακλείδου, γραμματικός, ὃς διέτριψε παρὰ Νέρωνι . .

s. Διονύσιος Ἀλεξανδρεύς, ὁ Γλαύκου υἱός, γραμματικός, ὅστις ἀπὸ Νέρωνος *συνῆν καὶ τοῖς μέχρι Τραιανοῦ* (Rohdius l. l. 165, n. 1 ante συνῆν addidit ἦν καί (cl. s. Ἀριστόξενος), ipse olim inserui ὤν. Sed utraque scriptura multo probabilior est Wachsmuthii emendatio 'ὃς τοῖς ἀπὸ Ν. συνῆν', praesertim cum in his 'biographicis' nomini hominis litterati plenaeque eius significationi relicua memoria soleat adnecti pronomine ὅς neque ὅστις[24])), καὶ τῶν βιβλιοθηκῶν προὔστη . . ἦν δὲ καὶ διδάσκαλος Παρθενίου τοῦ γραμματικοῦ, μαθητὴς δὲ Χαιρήμονος τοῦ φιλοσόφου, ὃν καὶ διεδέξατο . .

s. Ἐπαφρόδιτος Χαιρωνεύς, γραμματικός, Ἀρχίου . . θρεπτός . . καὶ παιδεύσας . . ἐν Ῥώμῃ διέπρεψεν ἐπὶ Νέρωνος καὶ μέχρι Νέρβα, καθ' ὃν χρόνον *καὶ Πτολεμαῖος ὁ Ἡφαιστίωνος ἦν καὶ ἄλλοι συχνοὶ τῶν ὀνομαστῶν ἐν παιδείᾳ* κ. τ. λ.

s. Ἀλέξανδρος Αἰγαῖος, φιλόσοφος . . διδάσκαλος Νέρωνος τοῦ βασιλέως, ἅμα Χαιρήμονι . .

s. Κορνοῦτος Λεπτίτης, φιλόσοφος, γεγονὼς ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Νέρωνος καὶ πρὸς αὐτοῦ ἀναιρεθεὶς σὺν τῷ Μουσωνίῳ.

s. Μουσώνιος . . Τυρρηνὸς . . διαλεκτικὸς φιλόσοφος καὶ στωικός, γεγονὼς ἐπὶ Νέρωνος, *γνώριμος δ' Ἀπολλωνίου τοῦ Τυανέως καὶ ἄλλων πολλῶν* . .

s. Ἀκουσίλαος Ἀθηναῖος ὤν . . οὗτος ἠράσθη λόγων ἐν Ἀθήναις καὶ ἐλθὼν εἰς Ῥώμην ἐπὶ Γάλβα διέτριψεν (an διέπρεψεν?) ἐν λόγοις ῥητορικοῖς.

s. Σκοπελιανὸς Κλαζομένιος, σοφιστής, γεγονὼς ἐπὶ Νέρβα . . συγχρονῶν Ἀπολλωνίῳ τῷ Τυανεῖ.

s. Πλούταρχος Χαιρωνεύς . . γεγονὼς ἐπὶ τῶν Τραϊανοῦ τοῦ Καίσαρος χρόνων καὶ ἔτι πρόσθεν (cf. etiam s. Ἰάσων Ἀργεῖος).

s. Ἀριστοκλῆς . . σοφιστής, γεγονὼς ἐπί τε Τραϊανοῦ καὶ Ἀδριανοῦ.

s. Δίων ὁ Πασικράτους . . διέτρεψε τὸ πλεῖστον παρὰ Τραϊανῷ . .

s. Ἀρχίβιος Πτολεμαίου . . *γραμματικὸς τῶν ἕως Τραϊανοῦ τοῦ Καίσαρος ἐν Ῥώμῃ παιδευσάντων.*

---

24) Novit tamen exempla contraria haece: s. Ἀντισθένης . . φιλόσοφος Σωκρατικός, ὅστις περιπατητικὸς ἐκλήθη; s. Ἀριστογείτων . . ῥήτωρ . . ὅστις ἐπεκαλεῖτο Κύων; bis in talibus ὅσπερ adhibitum est: s. Ἀρίστιππος . . φιλόσοφος . . ἀφ' οὗπερ ἡ Κυρηναϊκὴ . . αἵρεσις ἤρξατο; s. Καρνεάδης . . φιλόσοφος, ἀφ' οὗπερ ἡ νέα ἀκαδημία ἤρξατο. Opinatur vero talibus fortasse interdum fontem reddi pariter ac vix casu factum sit, quod quater 'οἵτινες' usurpetur ad significandos VII tragicos, cf. s. Λυκόφρων, Σοφοκλῆς Ἀθηναῖος, Σωσιφάνης, Φιλίσκος.

citra opinandi vicissitudines positum erit. Quanquam — ut h
statim conmoneam — Hadriani temporibus non defuere qui eande
pertractarent materiam quique omnino res biographicas in summ
haberent deliciis. Nec male coniecit Volkmannns (III, p. XVI
not. 31) Lucianum in dialogo qui βίων πρᾶcιc inscribitur talia p
tissimum studia cavillatum esse.

Itaque non abs re esse videtur, antequam ad Philonem ipsu
disputatio accedat, pauca praefari. Inter illos auctores Hermipp
Berytius praecipua laude nominandus est, quem librum περὶ τῶ
διαπρεψάντων ἐν παιδείᾳ δούλων scripsisse Suïdas (s. Ἴcτροc) ip
testatur, cuiusque auctoritatem Wachsmuthius (l. l. p. 140 sq.) su
tiliter adumbravit.[25]) Huius vero Hermippi studia fructuosissin
paulo latius patuisse nescio an conligi liceat ex verbis multifar
adhibitis quae reperiuntur in Etymol. M. p. 118, v. 22 s. v. Ἀπ
μεια· πόλις Βιθυνίας, πρότερον Μυρλέα καλουμένη, ἣν λαβὼν δῶρ
παρὰ Φιλίππου τοῦ Δημητρίου ὁ Ζιήλας μετωνόμαcεν Ἀπάμειο
ἀπὸ τῆc ἑαυτοῦ γυναικὸc Ἀπάμας, ὡc (add. V[b]) Ἕρμιππος ἐ
τῷ περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ λαμψάντων λόγῳ. Quem quide
Hermippum non Callimacheum sed Berytium[26]) esse verissin
monuit Wachsmuthius (l. l. p. 143, not. 16)[27]): quod si verum e
resuscitavimus libri alicuius Berytii generalem inscriptionem πε
τῶν ἐν παιδείᾳ λαμψάντων Callimachi πινάκων titulo simillimar
quam adtrectare interim non ausim. Iam duae res cogitari queun
aut huiusce operis partem fuisse librum nobilissimum ʽπερὶ τῶν ἐ

[25]) Inter testimonia Wachsmuthii cura plene congesta nondum pe
sanata sunt verba illa quae extant s. Φλέγων Τραλλ. . . ἀπελεύθερος τ
Cεβαcτοῦ Καίcαρος (Wachsm. p. 142, n. 13); conrigendum esse opin
ʽτοῦ Οὐεcπαcιανοῦ Κ.' — [26]) Cf. Lozynskium Hermippi Smyrn. Peripa
Fragm. (Bonn. 1832) p. 24 sq., et Prellerum in Jahn. Annal. phil. XVII, 1
s. Ἄβδηρα· πλεῖστοι δ' Ἀβδηρῖται ὑπὸ τῶν πινακογράφων ἀναγράφονται, *Νικαίνετος* . . καὶ *Πρωταγόρας*, ubi illius ordinis pinacographorum auctoritate confirmati (cf. Niesium p. 31 fin. 32) vestigia servata sunt; sed noluit ille excerptor omnia nomina describere (cf. G. Roeperum l. s. c. p. 5).

s. Ἀντιόχεια (*Ἀπολλοφάνης* — *Φαρνοῦχος*), s. Γέρασα (*Ἀρίστων*, *Κήρυκος*, *Πλάτων*, qui omnes ad rhetorum pertinent genus, cf. etiam Rohdium l. l. 565[2]), s. Ἱεράπολις (*Νικάνωρ*, *Πόπλιος*, *Σαραπίων*, quorum primus grammaticus, ceteri philosophi eique stoici sunt), s. Κραστός (*Ἐπίχαρμος*, *Λαΐς*, nisi forte casu hic ordo prodiit, vid. Niesium p. 21), s. Κύμη (*Ἔφορος* — *Ἡσίοδος*), s. Μηκύβερνα (*Ἡγήσιππος* καὶ *Φιλωνίδης* καὶ οἱ ἄλλοι), s. Μύνδος

[45a]) Quod non adtendit Rohdius (l. l. 570), qui ne id quidem mihi persuasit Hesychium in gl. Κλεάνθης verba μαθητής — Σολέως ex Philone *hausisse*.

(*Ἀ*πολλώνιος καὶ Ζήνων γραμματικοί), s. Τέως (*Π*ρωταγόρας — *Σ*κυθῖνος, quorum alter σοφιστής, alter ἰάμβων ποιητής erat).

Tamen aliis locis hunc ordinem esse relictum Niesius monuit (p. 30), ut illis vix quicquam tribui posset. Sed paululum circumspiciamus. Sub v. Ἀσκάλων primum recensentur φιλόσοφοι (inter quos stoici), dein grammatici, tum historici, e quibus *Ἀ*πολλώνιος, *Ἀ*ρτεμίδωρος καὶ ἄλλοι nominantur. Iam si quid video hoc exemplum divisionem ex litterarum generibus ac singulorum historicorum recensionem κατὰ στοιχεῖον adornatam evidenter prodit. Porro s. Μεγάλη πόλις primum poetam, deinde philosophum peripateticum, tum duos historicos (*Ἀ*κεστόδωρος, *Π*ολύβιος) ex litterarum serie digestos cernimus. Tum s. Μήθυμνα primo loco enumerantur φιλόσοφος περιπατητικός et συγγραφεύς, secundo poetae (*Ἀ*ρίων καὶ ἄλλοι πολλοὶ Μηθυμναῖοι, quae verba ordinem indicant alphabeticum); s. Μίλητος primum Θαλῆς et Φωκυλίδης (φιλόσοφοι), dein Τιμόθεος κιθαρῳδός; s. Τάρας denique primum philosophi Pythagorici et Aristoxenus musicus, post eum Rhinthon φλύαξ. At s. Νίκαια certum disponendi consilium desideravi.[45b])

Ex quibus indiciis id saltem effici posse videtur, ut Philo clarorum hominum nomina in universum secundum genera litterarum recensuerit, singulorum autem generum homines ipsos ex alphabetico fere ordine enumeraverit, quamvis non ubique hanc consuetudinem anxie secutus esse nec omnino his in rebus certam sibi legem inposuisse videatur. Porro etiam id cogitare licebit Philonem ordinem in fontibus[45c]) suis servatum modo retinuisse modo proprium instaurasse. Sed haec omnia ne penitus cognoscamus lacera 'ethnicorum' condicione inpedimur.

Adcurate deinde significatur, generi cui quibusve generibus litterarum singuli homines dediti fuerint, ac saepius etiam de vita eorum ipsa, de praeceptoribus discipulisque paulo uberius agitur (cf. s. v. Γέρασα, Γέργις, Δυρράχιον, Ἔρεσος, Καρχηδών, Κασάνδρεια, Κοτιάειον, Κυνὸς κεφαλαί, (Κυρήνη), Κύρτος, Κῶς, Μήθυμνα, Ὑδρέα, Φάσηλις (ubi copiosissima de Theodecte memoria profunditur), Φίλιπποι);

[45b]) Nec Rohdium disponendi ratio latuit in gl. Ἀσκάλων, Ἱεράπολις, Μεγάλη πόλις (l. l. 565, n. 2); parum tamen credibile intra divisionem ex litterarum generibus institutam interdum regnasse ordinem chronologicum, velut s. Ἀσκάλων in grammaticorum et philosophorum recensu, quem ad tempora digerere difficillimum est. Ceterum idem recte animadvertisse videtur epitomatorem aliquotiens unam tantum classem auctorum a Stephano enumeratorum transscripsisse. — [45c]) De quibus enucleatius disputare huc non adtinet: quare pauca delibasse sufficiat. Praeter Neanthem (περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν, cf. s. Κραστός), Demetrium Magnetem, Hermippum Callimacheum (in philosophorum vitis paulo largioribus), pinacographorum potissimum opera ad suum usum prorsus adposita Philo diligenter consuluisse videtur, qua re perpensa notationum eius auctoritas fidesque haud mediocriter augetur, cf. s. Ἄβδηρα, Μήθυμνα, al. (vid. Niesium p. 31 fin. 32).

denique — id quod non praetereundum est — multis hominibus breve: plerumque tabulas librorum numero saepius adposito subiuncta videmus[45d]) (s. Ἀλεξάνδρεια, Ἀνάζαρβα, Ἀντιόχεια, Ἀσκάλων Ἄχναι, Βατή, Δυρράχιον, Κάλλατις, Κοτιάειον, Μεγάλη πόλις Μέγαρα, Μέδμη, Μηκύβερνα, Μίλητος, Νίκαια, Ὀλόφυξος, Τάρας Τάρρα, Τιβεριάς, Τράγιλος, Τρῳάς (de scriptis Hegesianactis) Φάσηλις (de Theodecteis), Φλιοῦς).

Haec de Philonis operis indole ac ratione satis dicta sunto Illud vero quatenus Hesychius in suum usum converterit, testimonio rum supra conlectorum docet conspectus, quanquam, ut ingenue fatear, hinc ad rem ipsam confirmandam multum fructus percip nequit (cf. inprimis Rohdium l. l. 564 sq.). Sed largiorem doctrinae Philoneae copiam in Suidae biographicis inesse certissimum est Velut in singulorum hominum clarorum patriae nominibus, de qui bus iudicium persaepe erat ambiguum, ab Hesychio Philonis libr plerumque adhibiti esse videntur. Qua quidem via etiam has illas de vita scriptisque auctorum notitias in 'Onomatologum' inmigrasse credere par est (cf. s. Ῥίνθων, Θεοδέκτης, Τίμων). Nec dubito ad eandem Philonis scriptionem referre quae de patria distincte pro feruntur s. Σιμωνίδης Ἀμοργ., Ῥιανός, Ἐπίκουρος, Πείσανδρος Ἐρασίστρατος, Ἱπποκράτης Γνωσιδίκου, Ἀσκληπιάδης; itemque inte: diversa de patria testimonia ex Philone utique hauserit Hesychiu: ea quae Philonea esse ex Stephano Byzantio supra adparuit[45e]), s Πρωταγόρας (τινὲς δ' αὐτὸν ἀνέγραψαν..), Τέρπανδρος, Ἡσίοδος Ῥιανός, Σίβυλλα, Χοιρίλος (τινὲς δ' Ἰασέα . . ἱστοροῦσιν), Ὅμηρος Ἐπίχαρμος, Πίνδαρος, Στησίχορος (οἱ δ' ἀπὸ Ματαυρίας), Θέογνις Θαλῆς, Παρθένιος, Ἀριστοτέλης, Ἤριννα. Praeterea autem indidem promanasse notationes geographicas patriae nomini aliquotiens ad nexas cum veri simillimum sit (cf. Rohdium l. l. 571), tum luculente conprobatur testimonio quod extat s. Ἀσκληπιάδης Μυρλεανός (πόλις δ' ἐστὶ Βιθυνίας, ἡ *νῦν* Ἀπάμεια καλουμένη), quae quidem verba mire concinunt cum Stephano s. Μύρλεια, πόλις Βιθυνίας ἡ *νῦν* λεγομένη Ἀπάμεια. Etenim illud νῦν[46]) ab utroque pariter adhibitum priscum auctorem nempe Philonem manifesto arguit Exempla autem consignavi haece: s. Ἤριννα (Τῆλος δ' ἐστὶ νησίδιον

[45d]) Multa eius generis exempla Rohdius quoque conlegit (l. l. 572), minime vero omnia. — [45e]) Pleraque, non omnia exempla enumeravit etiam Rohdius (l. l. 568, 569). — [46]) Cf. de huius voculae usu Volkmannum (I, 7; III, p. IV), qui addere debebat gl. s. Θρασύμαχος . . δς πρῶτος . . τὸν *νῦν* τῆς ῥητορικῆς τρόπον εἰσηγήσατο, quae verba Aristotelis vel Theophrasti auctoritatem redolent (cf. Blassium Att. Bereds. I, 246 et n. 4; III, 1. p. 2, not. 1). Nec praetereundum videtur, quod s. Σίβυλλα Ἀπόλλωνος dicitur: . . Ἐρυθραῖα παρὰ τὸ τεχθῆναι ἐν χωρίῳ τῶν Ἐρυθρῶν, ὃ προσηγορεύετο Βάτοι, νῦν δ' αὐτὸ τὸ χωρίον . . προσαγορεύεται Ἐρυθραί, et s. Ἀριστείδης Ἀδριανεύς· . . Ἀδριανοὶ δὲ πόλις Μυσίας, τῆς *νῦν* Βιθυνίας, utrumque nescio an a Philone repetendum: qua tamen in re nil [illegible] auxilii Stephanus.

ἐγγὺς Κνίδου), Ὀρφεὺς Λειβήθρων τῶν ἐν Θρᾴκῃ (πόλις δ' ἐστὶν ὑπὸ τῇ Πιερίᾳ), ac similiter s. Πείσανδρος Πείσωνος, Ῥιανός, Ἄρατος Σολεύς, Βακχυλίδης (Κεῖος, ἀπὸ Κέω τῆς νήσου, πόλεως δ' Ἰουλίδος· ἔχει γὰρ πόλεις δ', *Ἰουλίδα*, *Καρθαίαν*, *Κορεσσίαν*, *Ποιήεσσαν*, cf. Steph. s. Ἰουλίς), Θέογνις, Λᾶσος, Σιμωνίδης Ἀμοργ., Σιμωνίδης Ἰουλιήτης, Στησίχορος, Τέρπανδρος; Ἀλέξανδρος Αἰτωλός, Θέσπις, Σωσίθεος; Μάγνης, Ἐπίχαρμος; Ἀκουσίλαος, Ἀντίπατρος, Δαμάστης, Κρίτων Πιεριώτης, Σκύλαξ; Ἀντιφῶν, Ἀριστείδης, Ζωίλος (cf. Rohdium 571, n. 2), Θρασύμαχος, Κεκίλιος, Πολέμων, Πρόδικος, Ἀσκληπιάδης Μυρλ., Ἡρακλέων, Ἀλκιδάμας, Δημήτριος Φαληρεύς, Δικαίαρχος, Ἐπίκουρος, Εὐκλείδης, Ζήνων . . Κιτιεύς, Κορνοῦτος, Φερεκύδης, Ἐρασίστρατος. Denique ut unum adiciam in singulis de patria alicuius opinionibus saepe diversissimis ne Philoneam quidem deesse credo, quam tamen ipsam eruere raro continget, velut s. Φιλιστίων Προυσαεύς, ἢ ὡς Φίλων Σαρδιανός, ubi Philo ipse laudatur (cf. praeterea Rohdium l. l. 568, 1; at J. Hilbergii de hac Suidae notatione disputatiunculam in 'Epist. crit. ad J. Vahlenum . . de nonnull. loc. script. Graec.' . . Vindob. 1877 adire mihi non licuit), Νίκανδρος, Ὠλήν (ubi haec Philoni debentur: μᾶλλον δὲ Λύκιος ἀπὸ Ξάνθου, ὡς δηλοῖ Καλλίμαχος καὶ ὁ Πολυίστωρ ἐν τοῖς περὶ Λυκίας), Αἴσωπος, Μίμνερμος, Ἀντιφάνης, Ἀριστοφάνης, Δεινόλοχος, Θεόκριτος, Ἴστρος, Φύλαρχος, Κάστωρ, Τιμαγένης, Ἅβρων, Ποσειδώνιος, Χρύσιππος.

Caput VI.

De Asclepiadis Myrleani in vitis grammaticorum auctoritate adiectis quaestiunculis de oratorum et historicorum librorum tabulis.

Primarium igitur ac splendidum Hesychii auctorem in vitis oratorum sophistarum grammaticorum medicorum nec non historicorum philosophorum, eorum potissimum qui a primo a. Chr. saeculo exeunte usque ad imperium Hadriani inclaruerunt ratione et via investigasse nobis videmur. Sed ni fallit opinio, *grammaticorum qui ante Augusti aetatem floruere* notationes acriter examinanti non minus indagare fontem continget. Sic hasce vitas intentius considerare lubet: s. Ἀρίσταρχος, Ἀριστοφάνης Βυζάντιος, Ἐρατοσθένης, Ζηνόδοτος Ἐφέσιος, Καλλίμαχος, Πτολεμαῖος ὁ Ἐπιθέτης, Πτολεμαῖος Πινδαρίων, Κράτης Μαλλώτης, quibus exemplis adlego haece: s. Ἀλέξανδρος ὁ Μιλήσιος, Ἀμμώνιος, Ἀπολλόδωρος γραμματικός, Ἀσκληπιάδης Μυρλεανός[47] (γέγονε δ' ἐπὶ τοῦ Ἀττάλου καὶ Εὐμένους . .), Ἀλέξανδρος Αἰτωλός (. . γραμματικός, sed quae insecuntur οὗτος

---

[47]) Suidae socordia duas glossas in unam temere conflatas esse pridem

καὶ τραγῳδίας ἔγραψεν .. aliunde certe deprompta sunt), Δαφίδας, Δημήτριος Ἰξίων (cf. Rohdium l. l. 168, n. 6), Δίδυμος Χαλκέντερος (cf. eundem p. 218, n. 2), Δικαίαρχος Λακεδαιμόνιος, Διονύσιος Θρᾷξ, Ἑκαταῖος Ἀβδηρίτης (φιλόσοφος, ὃς ἐπεκλήθη καὶ κριτικὸς γραμματικός), Εὐφορίων, Ζηνόδοτος Ἀλεξανδρεύς, Λυγκεὺς Σάμιος, Μαρσύας (*οὗτος* δ' ἦν πρότερον γραμματοδιδάσκαλος — ἔγραψε), Μόσχος (γραμματικός, Ἀριστάρχου γνώριμος), Νίκανδρος (ἅμα γραμματικός τε καὶ ποιητὴς καὶ ἰατρός), Ῥιανός (*οὗτος* δ' ἦν .. δοῦλος, ὕστερον δὲ .. ἐγένετο γραμματικός, σύγχρονος Ἐρατοσθένους), Σωσίβιος Λάκων, Τρύφων[48]), Τυραννίων (ὁ πρεσβύτερος — ceterum cf. nunc Dielsium Doxogr. Gr. Berol. 1879, p. 216, n. 3), quae quidem notationes (inde ab Ἀλέξανδρος ὁ Μιλ.) pristinam ubertatem partim abmisisse Suidaeque culpa in brevius contractae esse videntur. Tamen in ceteris fere omnibus sedulo denotatur, quem patrem scriptor aliquis habuerit (quin etiam quo munere pater functus sit, vid. s. Ἀριστοφάνης), ubi natus atque versatus sit, cuius filiam in matrimonium duxerit (vid. s. Καλλίμαχος), quorum discipulus quoque tempore fuerit, quibuscum una floruerit, quo sub rege sive regibus vixerit (qui si Ptolemaei sunt, quotus Ptolemaeorum regum fuerit significatur), saepius etiam quando vixerit, qua olympiade natus sit, qua mortem obierit, quale munus gesserit, quem in hoc munere successorem habuerit (qua in re inprimis bibliothecae praefectorum

---

intellectum est, cf. Lehrsium Herodiani scripta tria emend. 429 sq., C. Wachsmuthium de Cratet. Mall. 6, Rohdium Mus. Rh. n. XXXIII, 173, n. 4, qui quidem duos Asclepiadis nomine grammaticos ambo Myrleanos extitisse, secundo alterum, alterum primo a. Chr. saeculo, quamvis sagaciter tamen parum probabiliter coniecit. At nuperrime ipse hac opinione non iam prorsus conprobata (Mus. Rh. n. XXXIV, 571, n. 1) Asclepiadem Myrleanum (Ἀσκλ. Μυρλ. . . καλουμένη, et ἐπαίδευσε . . μεγάλου) et Nicaenum (cf. τὸ δ' ἄνωθεν γένος ἦν Νικαεύς, cui ceteras glossae particulas adtribuit) ab Hesychio confusos esse statuit. Sed nefas esse videtur a ceteris verbis divellere notitiam τὸ δ' ἄνωθεν γένος ἦν Νικαεύς, γραμμ. (μαθ. Ἀπολλ.), utpote quae cum illis artissime cohaereat (cf. etiam s. Παρθένιος, Νικαεὺς ἢ Μυρλεανός, et nos supra p. 451). Duos certe ὁμωνύμους Hesychius confudit, quorum alter quis fuerit expiscari vix unquam continget. Myrleano autem haec vindico: Ἀσκλ. — Ἀπολλωνίου. ἐπαίδευσε *δὲ καί* (quibus verbis Hes. alterius memoria interposita ad priorem redit, cf. infra p. 478 sq.) — μεγάλου. ἔγραψε πολλά; relicua — de quibus Rohdius acute disputavit — conveniunt alteri Asclepiadi eique ignoto. — [48]) γεγονὼς κατὰ τοὺς Αὐγούστου χρόνους καὶ πρότερον. Sed multo ante Augustum floruit Tryphon, vid. A. de Velsen Tryphon. Al. Fragm. (Ber. 1853), p. 1. 2, Rohdium l. l. 168, n. 6. Ceterum nescio an hoc indicio (cf. etiam s. Ἀμμώνιος . . πρὸ τοῦ μοναρχῆσαι τὸν Αὔγουστον, et s. Δίδυμος Χαλκ. . . γεγονὼς ἐπ' Ἀντωνίου καὶ Κικέρωνος καὶ ἕως Αὐγούστου, cf. Rohdium p. 218, n. 2) evidenter conprobetur in tali auctore nos versari qui opus suum ad Augusti tempora nec ultra perduxerit. Nihil aliud vero de his grammaticis enarrarat nisi sui ipsius esse aes; floruerunt igitur ante Augusti imperium, quo usque illius auctoris pertinuit.

rationem habitam esse patet), qui filii ei fuerint, quae fata singulorum vita perpessa sit, similiave. Nonne igitur horum plerumque ditissimorum testimoniorum ratio et indoles — nec denique id obliviscendum est in his omnibus regnare sermonis continuitatem ac genus dicendi mire concinnum — imperiose tanquam flagitat, ut a conmuni et proprio repetantur auctore? Quis vero hic fuerit si anquirimus, etiamsi non prorsus certo extrave omnem dubitationem evincere poterimus, attamen summa cum probabilitate auctorem indagare, opinor, continget. Scripsit nimirum *Asclepiades Myrleanus*, quem primo a. Chr. saeculo floruisse et certe ante annum septuagesimum natum esse Lehrsii acumine perspectum est (Herodiani scripta tria em., a. 1848, p. 428 sq.), amplissimum opus *περὶ γραμματικῶν*, cuius memoriam Suidas ipse servavit his locis: s. Πολέμων.. ἱστορικός.. κατὰ δ' Ἀσκληπιάδην τὸν Μυρλεανὸν συνεχρόνισεν Ἀριστοφάνει τῷ γραμματικῷ[49]); dein sextus 'grammaticorum' liber ipse citatur s. Ὀρφεὺς Κροτωνιάτης .. ὃν Πεισιστράτῳ συνεῖναι τῷ τυράννῳ Ἀσκληπιάδης φησὶν ἐν τῷ ϛ' βιβλίῳ τῶν γραμματικῶν; videtur enim et illos quorum opera in disponendis Homeri carminibus Pisistratus utebatur inter grammaticos rettulisse (cf. Lehrsium dissert. de voc. φιλόλογος, γραμματικός, κριτικός, in Herod. scr. tr. p. 398)[50]); denique 'grammaticorum' undecimum librum laudavit vitae Arateae enarrator (Westerm. Βιογρ. p. 52, 5): Ἀσκληπιάδης δὲ ὁ Μυρλεανὸς ἐν τῷ ια' περὶ γραμματικῶν Ταρσέα φησὶν αὐτὸν γεγονέναι, ἀλλ' οὐ Σολέα Καλλιμάχου .. Σολέα λέγοντος (ceterum Hesychius in patria Arati denotanda alium auctorem [Philonem Byblium?] secutus esse videtur).

Iam vero hanc meam de Asclepiade opinionem haud mediocriter fulsit Wachsmuthius his tribus nixus argumentis: primum nimirum apud Suidam Crates 'ἐπεκλήθη Ὁμηρικὸς καὶ Κριτικὸς διὰ τὴν .. περὶ τοὺς γραμματικοὺς .. λόγους αὐτοῦ ἐπίστασιν', idemque nuncupatur ὁ Κριτικός apud Asclepiadem Myrleanum (Athen. XI, 490 e); dein Dionysius Thrax Rhodi artem professus esse narratur apud Suidam s. Διονύσιος et s. Τυραννίων, pariterque apud Asclepiadem (Athen. XI, 489 a). Quo accedit tertium, quod praeter Asclepiadis scriptionem nullam novimus singularem grammaticorum historiam: nec minus sententiae nostrae favet quod Asclepiadem in significanda hominis litterati aetate aequalium rationem habuisse

[49]) Hoc testimonium ab eodem opere repetere non dubito (cf. Lehrsium l. l. 436); quaeritur tamen num Asclepiades de Polemone historico illic seorsum egerit (id quod censet Prellerus Polem. Fragm. p. 7. 8). Quod parum veri simile est; opinor potius illum in Aristophanis vita enarranda Polemonis tanquam huius aequalis mentionem fecisse. — Sed plane me fugit unde Prellerus noverit Asclepiadis opus grammaticorum et poetarum memoriam esse conplexum? An tale quid effecit ex verbis s. Ὀρφεύς (ap. Suid.)? Qua in re absque dubio erravit. — [50]) Eodem iure id cogitare licebit, Asclepiadem cum de Pisistrati curis Homericis dissereret Orphei (in transcursu) iniecisse memoriam.

cernimus. Ad huius igitur librum περὶ γραμματικῶν notation supra exhibitas omnes redire haud ita temere statuere nobis videmu id unum certe non conpertum habemus, ipsene Hesychius opus illu adhibuerit an per alium auctorem singulas narrationes acceperi Ab eodem porro auctore tabulae librorum repetendae videntu quippe cui bibliothecarum usum et πίνακας integros vel catalog operum ab ipsis scriptoribus confectos — nam tales extitisse O Milesii docet exemplum, cf. Suid. s. Ὧρος Ἀλεξανδρεύς.. ἔγραψε πίνακα τῶν ἑαυτοῦ; praeterea vide sis Ritschelium Opusc. phi I, 592 sq., Usenerum Anal. Theophr. 24 — patuisse veri simillimu sit. Quanquam vero Suidas in librorum numero ingenti enotand totiens adquievit, dubitari nequit quin fontes eius plenissimas e hibuerint tabulas (cf. s. Ἀρίσταρχος .. λέγεται δὲ γράψαι ὑπὲ ω' βιβλία ὑπομνημάτων μόνων; s. Ἀριστοφάνης.. συγγράμματ αὐτοῦ πάνυ πολλά; s. Ἀλέξανδρος .. βιβλία ἀριθμοῦ κρείττω s. Δίδυμος .. φασὶν αὐτὸν συγγεγραφέναι ὑπὲρ τὰ ,γφ' βιβλίο cf. etiam s. Καλλίμαχος et s. Διονύσιος Θρᾷξ). At tabulae qua servatae sunt quantumvis non plenae (s. Ἐρατοσθένης, Ζηνόδοτο Ἀλεξανδρεύς, Δημήτριος Ἰξίων, Καλλίμαχος, Τρύφων, Πτολεμαῖο Πινδαρίων, al.), talem produnt indolem ut ex limpidis fontibus no fluxisse nequeant. Velut Eratosthenis operum tabulam Suida pigritia magnopere decurtatam ad singula litterarum genera al quando fuisse dispositam etiamnum dispicere mihi videor: ἔγραψ δὲ φιλόσοφα καὶ ποιήματα καὶ ἱστορίας (cf. s. Ἀριστόξενος), ‖ ἀστρο νομίαν ἢ καταστερισμούς, ‖ περὶ τῶν κατὰ φιλοσοφίαν αἱρέσεων περὶ ἀλυπίας, διαλόγους πολλούς, ‖ καὶ γραμματικὰ συχνά: qu index si quid video priores dumtaxat titulos librorum singuloru generum ex litterarum ordine recensitos ita exhibet, ut poetica pri mum, dein philosopha, tum grammatica scripta enumerentur (quoru de nonnullis mirum ex parte tulit iudicium Bernhardyus in Erato sthenicis p. 195). Praeterea tabulae ex argumento digestae pro cedunt s. Ζηνόδοτος Ἀλεξανδρεύς et s. Τρύφων, modo in ha altera sedem mutari iusseris titulorum περὶ ὀνομάτων συγκριτικῶ α', περὶ τῆς ἐν μονοσυλλάβοις ἀναλογίας. Pervenimus tandem a *Callimachi operum quae extat apud Suidam tabulam* celeberrimam a fere dignissimam, quae religiose examinetur et adumbretur. Disp tavit vero de ea doctissime O. Schneiderus (de Callim. opp. ta quae extat ap. Suid. Goth. 1862 = Callim. II, 2—33), cuius qu dem iudicio suffragati sunt Lehrsius (Mus. Rh. XVII, 453) potissi mum et C. Diltheyus (de Callim. Cydipp. 100, n. 1, Jen. Litt. Diar a. 1874, p. 576). Sed nihilo setius in hanc rem denuo inquirere necessarium duxi, idque eo magis quod Schneiderus suam de singulis Callimachi operibus sententiam tabulae Suidianae auctoritate totam inniti voluit.

Tabulam nimirum ab homine Suida vetustiore conpositam sed a Suida neglegenter descriptam seu potius excerptam esse contendit

(Call. II, 3, 7). Quod quidem sine dubio recte Schneiderus perspexit: atque id vel maxime conprobo, quod illam non tam descriptam quam excerptam esse statuit. Hac tamen in re a Schneidero Volkmannus (II, 725) dissentit, qui illud quod in Suidae indice hymni elegiae Aetia Hecale, celeberrima Callimachi carmina, omissa sint ita explicat, ut Suidae Καλλιμάχου βίον una cum operum tabula praefationis instar codici vel editioni nescio cui olim praefixam fuisse sumat, ubi carmina illa coniunctim fuerint exhibita, ut vere dici potuerit: τῶν δὲ αὐτοῦ βιβλίων ἐστὶ καὶ ταῦτα. Hanc opinionem postmodum Volkmannus (III, p. IV) iteravit, sed ita circumscripsit, ut ad eos tantum scriptores qui ab Alexandrina inde aetate multum lectitati essent referret. Verum ista Volkmanni observatio quam artissimis finibus coercenda est; ac fortasse iuvabit hoc ipso loco rem ad umbilicum deducere.

Iam supra aliquotiens vidimus Volkmanni animadversionem — si indices s. Ἡσίοδος et s. Νίκανδρος (II, p. 728) exemeris — neutiquam quadrare in tabulas s. Μίμνερμος (p. 727), s. Σαπφώ, s. Φιλόξενος (p. 728), nec magis valet de titulis qui s. Διονυσιάδης et s. Σωσίθεος (p. 726) reperiuntur, in quibus omnibus explicatio multo expeditior in promptu est pariter atque in tabula Callimachea. Etenim omnia illius locutionis (τῶν δὲ αὐτοῦ βιβλίων ἐστὶ καὶ ταῦτα vel sim.) exempla si conparaveris, nil aliud Suidam indicare voluisse nisi plenam tabulam sese excerpsisse facile perspicies. En igitur amplum horum conspectum:

s. Φιλοκλῆς .. ἔγραψε τραγῳδίας ρ΄, ὧν ἐστι καὶ ταῦτα (iam enumerantur septem dramatum tituli, quorum primus ab Η littera, extremus a Φ incipit, unde cognoscimus Suidam in tabula excerpenda ab Η demum littera initium fecisse).

s. Χιωνίδης .. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι καὶ ταῦτα (tria secuntur).

s. Νικοφῶν .. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι καὶ ταῦτα (quinque secuntur).

s. Φιλέταιρος .. δράματα αὐτοῦ κα΄, ὧν ἐστι καὶ ταῦτα (adferuntur decem fabulae partim ex peculiari indice partim ex Athenaeo delibatae).

s. Τυραννίων ὁ νεώτερος .. ἔγραψε βιβλία η΄ πρὸς τοὺς ζ΄, ὧν καὶ ταῦτα; (laudantur opera septem ex plenissima tabula haud dubie descripta).

s. Θεόφραστος .. βιβλία δ' αὐτοῦ πάμπλειστα, ὧν καὶ ταῦτα (secuntur novem tituli ex tabula item excerpti; ceterum cf. Useнerum Anal. Theophr. 16, Schneiderum Call. II, 11).

s. Ξενοφῶν .. ἔγραψε βιβλία πλείονα τῶν μ΄, ὧν καὶ ταῦτα (enumerantur scripta quattuor, in fine legitur καὶ ἄλλα πολλά).

s. Φαβωρῖνος .. γέγραπται οὖν αὐτῷ φιλόσοφά τε καὶ ἱστορικά, ὧν πολὺς ἀριθμός. ἐστὶ δὲ καὶ τῶν βιβλίων αὐτοῦ ταῦτα (quattuor libri secuntur).

s. Φίλων Ἰουδαῖος .. γέγραπται αὐτῷ βιβλία ἄπειρα, ἐξ ὧν καὶ ταῦτα .. (sequitur librorum tabula ex Sophronio deprompta).

s. Ῥοῦφος Ἐφέσιος .. φέρεται αὐτοῦ βιβλία πλεῖστα, ἐξ ὧν καὶ ταῦτα .. (enumerantur novem scripta ex tabula Philonea petita).

Quibus accedere arbitror indicem s. Νικόμαχος Ἀλεξ. .. γράψας τραγῳδίας ια', ὧν καὶ αἵδε (quae iam enumerantur); praeterea confer gl. s. Μάρκελλος .. βιβλία ἰατρικά, ἐν οἷς καὶ (i. e. praeter alia) περὶ λυκανθρώπου; Laert. V, 58: φέρεται δ' αὐτοῦ (Στράτωνος) καὶ βιβλία ταῦτα, denique Vit. Isocr. III (Βιογρ. p. 256, 77): σκώπτουσι δ' αὐτόν .. οἱ κωμικοί, ὧν εἷς ἐστι καὶ Στράττις (i. e. praeter ceteros poetas comicos).

Itaque haec exempla liquido ostendere mihi videntur Suidam locutione καὶ ταῦτα tum usum esse, cum se indicem non plene descripsisse sed temere excerpsisse significare vellet. Atque idem in Callimachi operum tabulam cadere mihi persuasi, quamvis nobilissima poetae scripta omissa sint: quod tamen Suidae neglegentiae sive inprudentiae deberi liquet. Ceterum illorum exemplorum ratio non ea est ut tabulas ex 'vita' aliqua petitas esse credideris.

Ergo mittamus Volkmanni istam sententiam et Schneiderianam examinare pergamus. Qui nimirum Suidae indicem Callimacheum excerptum esse opinatur ex integra tabula, quae *secundum litterarum ordinem fuerit digesta,* 'non ita tamen ut omnium subsequentium vocum elementorum, sed unius primae litterae ratio habita sit' (p. 9). Idem cum in ceteris plurimis tabulis transscribendis Suidam provinciam suam religiose administrasse largiatur (p. 8. 9), in Callimachea excerpenda summae incuriae et pigritiae illum incusat. Nihilo setius in tabula pristini ordinis vestigia conspicere sibi visus est: Ἰοῦς ἄφιξις, *Ἄ*ργους οἰκισμοί, *Ἀ*ρκαδία, *Γ*λαῦκος, σατυρικὰ *δ*ράματα, *Ἶ*βις, *Μ*ουσεῖον, *Π*ίνακες τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν ἐν βιβλίοις κ' καὶ ρ', *π*ίναξ καὶ ἀναγραφὴ τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων διδασκάλων, *π*ίναξ τῶν Δημοκρίτου γλωσσῶν καὶ συνταγμάτων, μηνῶν *π*ροσηγορίαι .. κτίσεις νήσων καὶ *π*όλεων καὶ μετονομασίαι, περὶ τῶν ἐν Εὐρώπῃ *π*οταμῶν, περὶ τῶν ἐν Πελοποννήσῳ καὶ Ἰταλίᾳ θαυμασίων καὶ *π*αραδόξων. In qua Schneideri ratione aliquid veri inesse infra patebit, tamen rei veritatem ipsam perspexisse eum nego. Nam si quis vel hanc tabulae partem quam modo exhibuimus pervolaverit difficultates haud sane leves existere animadvertet. Etsi non in eo haesito quod initio in *Ἄ*ργους οἰκισμοί ordinem pendere iussit e prima voce, ex altera in Ἰοῦς ἄφιξις, id tamen non satis possum mirari quod de titulis σατυρικὰ *δ*ράματα, μηνῶν *π*ροσηγορίαι, περὶ τῶν θαυμασίων καὶ *π*αραδόξων sive adeo de κτίσεις νήσων καὶ *π*όλεων καὶ μετονομασίαι idem statuit. Nec talem ordinem ita tueri debuit, ut veteres pinacographos a tanta subtilitate alienos fuisse diceret. Theophrasti enim indicis (Laert. V, 42 sq., Anal.

Theophr. ed. Usener. p. 3 sq.) quem citat Schneiderus ea indoles est, ut in illo non arbitrium — quae Schneideri fallax opinio est — sed rationem invaluisse nemo non facile sentiat (cf. Usenerum p. 14). Id unum monuisse sufficiat — nam singula quaeque percensere displicet — per totam tabulam Laertianam eam regnare normam, ut auctor eius in digerendis titulis primae vocis constanter rationem habuerit.[51]) Nec magis relicua exempla ad insolitum ordinem de-

[51]) Theophrasteorum operum tabulae naturam et consilium egregie adumbravit H. Usener (Anal. Theophr. Lips. 1858, p. 13 sq.). Cuius disputationi pauca adicere in animo est. Ac primum quidem in tabula ipsa, quam Usenerus Laertii librorum Italicorum (p. 2) scriptura adhibita lectorum oculis subiecit (p. 4—12), haec conrigenda notavi: p. 9, 2 pro mendoso titulo περὶ τῶν ἀδικημάτων, qui probum ordinem conturbat, propono: περὶ τῶν διηγημάτων (conl. p. 10, 9); p. 9, 4 liber περὶ τῶν αὐτομάτων ζώων ᾱ post περὶ εὑρημάτων (9, 6), itemque p. 9, 12 titulus περὶ μέτρων ᾱ post περὶ μουσικῆς (10, 1) transponendus, et p. 11, 12 pro τὰ ὑπομνήματα ᾱ (Usenerus cum E. Koepkio de hypomn. gr. p. 11 ἱστορικά ὑ. coniecit) πολιτικὰ προβλήματα redintegrandus esse videtur (conl. 10, 6). Qua in tabula tertia quamvis Usenerus (p. 15) ullum ordinem esse negarit, nescio an pristinae dispositionis alphabeticae vestigia etiamnum in aperto sint. — Porro si totius tabulae auctorem quaerimus, Andronicum eam confecisse U. merito negavit (p. 22, cf. Heitzium, die verlor. Schr. d. Aristot. p. 50), sed notarum illarum ad Theophrasti physicorum librum VII, et ad metaphysicorum initium totiusque tabulae indolis ratione habita sat probabiliter coniecit Laertium Hermippi Callimachei — quem de Theophrasto scripsisse Laertius II, 55. V, 41 et Athenaeus I, 21a testantur — indicem e bibliothecae Alexandrinae catalogis oriundum in suum usum convertisse (cf. etiam Wachsmuthium Phil. XVI, 662, Heitzium l. l. p. 50, quem tamen sollicitare non debuit tabula illa ex litterarum ordine disposita tanquam a ceteris philosophorum tabulis remotissima: quippe horum ipsorum scripta varium in modum digesta fuisse ex Laertio II, 57 [συνέγραψε (ὁ Ξενοφῶν) δὲ βιβλία πρὸς τὰ τετταράκοντα ἄλλων ἄλλως διαιρούντων] et III, 61 (ubi de varia Platonis librorum divisione sermo est) elucet). Nec vero cum Usenero consentio quod Hermippum de philosophorum non modo vitis sed etiam libris multis voluminibus exposuisse contendit: itemque Nietzschius (Mus. Rh. n. XXIV, 188 sq.) Hermippum 'vitis' suis indices inseruisse probare studuit. Quod fecisse eum nego: nam ex Laertio VIII, 85 et 88 (cf. l. l. p. 189) id unum effici potest, ut obiter ille fortuitoque de singulis libris quaedam adnotaverit, minime vero omnibus auctoribus librorum tabulas data opera adnexuerit, quod ne convenit quidem Hermippeae scriptionis vestigiis nec studiis in vita philosophorum enarranda ab eo conlocatis (cf. etiam V. Roseum Aristot. Pseudepigr. p. 9). Nihil deinde probatur Plinii (N. H. XXX, 1, 4: *Hermippus qui de ea [magica arte] diligentissime scripsit — indicibus quoque voluminum eius positis*) testimonio, postquam librum περὶ μάγων ab Hermippo Prellerus (in Jahn. Annal. phil. XVII, 175) rectissime abiudicavit (cf. nunc etiam Dielsium Doxogr. Gr. p. 151). Ergo restant testimonia subscriptionum περὶ φυτῶν ἱστορίας libri VII et fragmenti metaphysici (cf. Usenerum p. 23), quae Hermippum una cum Andronico Theophrasteorum librorum indicis auctorem nominant: ubi Hermini nomen Roseus (de Arist. libr. ord. et auct. 31 sq.) perperam restituit (cf. Usenerum p. 24, Heitzium l. l. p. 48), nec felicius rem absolvit, cum de libris dubiae auctoritatis in Theophrasti vita Hermippum egisse inde concluderet (Arist. Pseud. p. 9); immo res ita conparata est ut ἡ ἀναγραφὴ τῶν Θεοφράστου βιβλίων

fendendum ullo modo adposita sunt. Verum enimvero si ceteri quoque tituli in Suidae tabula eodem ordine quo illi procederent, hos ipsos quos supra enumeravimus quantumvis inconpositos forsitan pateremur. Hinc vero Schneiderus summis difficultatibus inretitur, e quibus omnibus machinis semet expedire conatus est. Ipse enim ait (p. 10) Suidam ordinem conturbasse 'videri', cum et titulos Cεμέλην, Ἐλπίδας, μέλη alieno loco enumeraret et post librum περὶ τῶν .. θαυμασίων καὶ παραδόξων — dum modo hic ipse recto talo staret — aliquot titulos 'extra ordinem vagari vellet'. Iam i, inspice ordinem ipsum: περὶ μετονομασίας ἰχθύων, περὶ ἀνέμων, περὶ ὀρνέων, περὶ τῶν ἐν τῇ οἰκουμένῃ ποταμῶν, θαυμάτων τῶν εἰς ἅπασαν τὴν γῆν κατὰ τόπους ὄντων συναγωγή — litterarum serie prorsus relicta! Sed Schneiderus (p. 11 sq.) horum titulorum dispositionem ita tueri studuit, ut Suidae in tabulis delibandis talem consuetudinem fuisse moneret, ut nonnunquam indicem denuo percurreret et extra ordinem quae in novo transcursu invenisset memorabilia priori tabulae adnecteret. Quem Suidae morem librorum indiculo s. Θεόφραστος servato egregie inlustrari existumat: sed hinc nihil possumus lucrari, cum Suidas eis quae ex fronte huius tabulae petiit de sua ipsius memoria nonnulla adiecerit (cf. Usenerum l. l. 16 sq.). Nec non relicuorum quae ad dramatum indices pertinent exemplorum ratio ea est, ut et ordinis mutatio probe plerumque explicari queat neque ea ipsa ad dispositionem Callimachi librorum plane singularem excusandam quicquam valeant. Quid denique de ceteris titulis iudicabimus, quos cum cuivis ordini repugnarent ad certum ordinem artificiosissime redigere molitus est (p. 12 sq.)? Haec omnia conamina per se satis inprobabilia singillatim redarguere nolo. Sed antequam meam de huius tabulae conpositione sententiam proponam, id quaerendum est quis tandem Hesychio illam suppeditaverit: quem auctorem si investigaverimus Schneideri aedificium funditus destruetur. Is nimirum contendit (p. 32) librorum tabulas alphabeticas a nullo alio Hesychium accepisse nisi a Dionysio Halicarnassensi minore. Etenim cum operum indices κατὰ στοιχεῖον digesti nunc apud Suidam paucis philosophorum exemplis exceptis — id quod non prorsus verum est — fere non legerentur nisi in tragicorum comicorum epicorum vitis, has quidem tabulas suum sibi vindicare ait auctorem: atqui inter poetas Callimachum esse referendum; ergo cui veri esse similius tabulam illam deberi quam Dionysio — quem primarium Hesychii in poetarum vitis ducem fuisse Schneiderus ipse rectissime evicit?

At meam ratiocinationem paucis conprehendam:

Hermippi peculiare opus fuerit. Qui plane eandem in Aristotelis scripta curam contulisse videtur, si quidem recte ad Hermippum Aristotelis indicem Laertianum rettulerunt Heitzius (l. l. 46 sq.), Nietzschius (l. l. 185, n. 1), Bergkius (Hist. Litt. Gr. I, 278), cf. etiam nunc Roseum *Arist. Pseud.* p. 5, 9. — Ceterum alibi his de rebus adcuratius disseram.

1) In tragicorum comicorum epicorum tabulis alphabeticis non scripta nisi eiusdem generis, i. e. ποιήματα, nequaquam poemata cum libris sermonis pedestris coniuncta ad litterarum ordinem procedere cernimus. Quod vel maxime cadit in Alexandrinorum poetarum indices, quos pedestri quoque oratione opera conposuisse notum est (cf. s. Εὐφορίων, Νίκανδρος, et supra p. 414).

2) Quodsi et Callimachum a Suida γραμματικόν adpellari, non (ἐπῶν) ποιητήν, et totam notationem vitarum ceterorum qui proprie audiunt γραμματικοί indolem prodere tecum reputaveris, hanc una cum librorum tabula non ex Dionysii musica historia — quamvis ille etiam de Callimacho tanquam poeta disputaverit — sed ex Asclepiadis opere περὶ γραμματικῶν petitam esse lubenter mihi concedes. Cui plenum Callimachi librorum indicem et prudenter conpositum praesto fuisse credere licebit.

Sed qua ratione illum digestum fuisse censebimus? Certe non ea quam Schneiderus perspexisse sibi visus est, quamvis aliquid veri auguratus sit. Nam illius opinio radicitus evellenda est omnes titulos coniunctim litterarum ordinem servasse adfirmantis, quippe quod rationi pinacographorum adverso fronte repugnet. Id vero recte animadvertisse mihi videor — Suidaeque ipsius verba liquido indicant ὡς γράψαι μὲν ποιήματα . . συντάξαι δὲ καὶ καταλογάδην — primum enumerata fuisse poëmata, dein opera pedestria. Carmina autem ipsa secundum argumentum vel ad μέτρα διάφορα (cf. Suid. s. h. v. et s. Παρθένιος) disposita (elegiae, dramata), singulorum generum tituli ex litterarum ordine secuti esse videntur: atque huius ordinis aperta vestigia etiamnum deprehenduntur — qua in re Schneiderum opinio non fefellit —, si quidem recte coniecit Wachsmuthius in prisci catalogi fronte positum fuisse titulum *Αἴτια* (quorum singulae partes singulariter erant enumeratae — pariter atque factum esse infra patebit in scriptis pedestribus —: Ἰοῦς ἄφιξις, *Σεμέλη*, quas unice selegerit Suidas), *Ἄργους* οἰκισμοί, *Ἀρκαδία*, *Γλαῦκος*, *Ἐλπίδες* (ceterum adi Bergkium Praef. Anth. II, p. XIII, Rauchium Aet. Fragm. p. 8, Schneiderum Call. II, 17. 112). Dein dramata enumerantur eorumque genera, sed singulos titulos Suidas describere noluit; tum secuntur μέλη titulis non additis, denique Ἶβις carmen quod certo generi adsignari nequibat.

Hinc ut ad opera pedestria sermo transeat, pro certo adfirmari nequit utrum a titulo Μουσεῖον an a πίναξι sumant initium, quoniam de illius libelli argumento hominum doctorum opiniones in diversissimas partes abeunt (cf. Schneiderum l. l. 285 sq.). Sed huius tabulae partis singuli libri neutiquam inconpositi decurrunt. Primum enim πίνακες celeberrimum Callimachi opus recensentur, quibus subiungitur aliqua πινάκων particula — ceteras quas Suidas omisit praeter πίνακα τῶν νομογράφων Schneiderus recte supplevisse (p. 20 sq., 297 sq.) videtur —, praeterea peculiaris a ceteris πίναξιν haud dubie diversus (cf. M. Schmidtium Quaestt. Hesych. p. CLXVII)

πίναξ τῶν Δημοκρίτου γλωςςῶν καὶ ςυνταγμάτων, quem p infeliciter Schneiderus — ut de conaminibus Bernhardyi (ad Meinekii (Praef. ad Callim. XV), Heckeri (Conment. Call. I, 3) — ita redintegravit: πίναξ [καὶ ἀναγραφὴ τῶν φιλοςόφων, ἐ καὶ περὶ] τῶν Δημοκρίτου γλωςςῶν καὶ ςυνταγμάτων. Neque causam idoneam video cur hunc titulum ex duobus conglutinatu cum Wachsmuthio (Phil. XVI, 659) ponamus, immo pristinam insc nem hanc fuisse opinor: πίναξ τῶν Δ. ςυνταγμάτων καὶ γλω

Dein titulorum qui inde usque ad calcem tabulae enume indolem si intentius considerabimus, eos non temere sed sana r dispositos esse patebit. Tamen antea vitium tollendum est[52]: (περὶ *μετ*ονομαςίας ἰχθύων Callimachum singulares libellos scri prorsus incredibile; scripsit haud dubie περὶ κατονομαςίας propter praecedens μετονομαςίας facile depravari potuit). quidem *μετ*ονομαςίας aliquotiens expertae sunt; venti varias ı νομαςίας apud diversas gentes parilem in modum ac menses προςηγορίας. Poteris etiam simpliciter emendare ὀνομαςία Athen. VII, p. 329a: ἐν ἐθνικαῖς ὀνομαςίαις γράφει, et καταλέγι θύων ὀνομαςίας), sed illud veri similius est. Porro non temere videbimur si integros titulos fuisse putabimus περὶ κατονομαςί θύων, περὶ κατονομαςίας ἀνέμων (cf. Schneiderum p. 16), περὶ νομαςίας ὀρνέων. Quibus rebus perpensitatis adparet in catalog primum ethnicas glossas conmemoratas esse post librum de Den scriptis et glossis, illarum vero singulas partes adcuratius signif deinde γεωγραφικὰ tria (secundum et tertium uberius enarra Suidam vero primum ex his omnibus quae ipsi maxime placuer basse, dein iterum percurrendo alia praecipue generalia subiu (περὶ τῶν ἐν τῇ οἰκουμένῃ ποταμῶν, θαυμάτων τῶν εἰς ἅ τὴν γῆν κατὰ τόπους ὄντων ςυναγωγήν). Itaque haec fere ultimae catalogi partis evadet, quam stemmatis auxilio delir

I. Ἐθνικαὶ ὀνομαςίαι. (scripta glossematica).	II. Γεωγραφικά.		
a) Μηνῶν προςηγορίαι κατ' ἔθνος καὶ πόλεις.	1) Κτίςεις νήςων καὶ πόλεων καὶ μετονομαςίαι.	2a) Περὶ τῶν ἐν Εὐρώπῃ ποταμῶν.	3a) ἐν Π cῳ κ θαυμα παραδ
b) Περὶ κατονομαςίας ἰχθύων, π. κ. ἀνέμων, π. κ. ὀρνέων, quae opera arto necessitudinis vinculo conexa item κατὰ ἔθνος discripta fuere, cf. Athen. VII, p. 329a: . . καταλέγων ἰχθύων ὀνομαςίας φηςίν· Ὄζαινα, ὀςμύλιον· Θούριοι. ἴωπες, ἐρίτιμοι· Ἀθηναῖοι.		2) Περὶ τῶν ἐν οἰκουμένῃ ποταμῶν. (Cf. Strab. IX, p. 397.)	3) (τῶν ε τὴν · τόπου ςυναγ

[52]) Quae nunc de Callimacheae tabulae dispositione enarrantur,

Huic disputationi nonnulla per saturam addere placet, quae in totius disquisitionis nexu et tenore idoneum locum non invenerunt. Asclepiadem Myrleanum in libris 'περὶ γραμματικῶν' πίνακας adhibuisse supra demonstravimus. Sed horum ipsorum auctoritatis haud scio an luculenta vestigia in tabulis historicorum et oratorum qui ante Alexandrinorum aetatem floruere lateant. Quae quidem hoc loco breviter perlustrare lubet: nec enim mihi perspectum est unde Hesychius ipse desumpserit. Id unum teneo e bibliothecarum catalogis illas fluxisse. Porro ne quis miretur de historicorum tabulis generatim hucusque non disputavimus, cum multarum origo omnino explorari nequeat. Qua in re ne id quidem obliviscendum est Hesychium nonnullas vel de sua ipsius notitia vel bibliothecis Byzantinis perquisitis adiecisse videri, quippe qui historicis scriptis sine dubio operam inpenderit (cf. Suid. s. Ἡσύχιος). At pinacographicos fontes redolent tabulae, quae sive litterarum ordinem strictim tenent sive nullo negotio ad talem exigi queunt: s. v. Δαμάστης . . γέγραφε περὶ τῶν ἐν Ἑλλάδι γενομένων (Mueller. F. H. G. II, 64), περὶ γονέων καὶ προγόνων . . βιβλία β' (quos duos titulos in unum coagmentare aptius mihi visum est Mus. Rh. n. XXXV, 56 sq.: περὶ τῶν ἐν Ἑ. γενομένων γονέων καὶ προγόνων . .), ἐθνῶν κατάλογον καὶ πόλεων, περὶ ποιητῶν καὶ σοφιστῶν καὶ ἄλλα συχνά; s. Διονύσιος Μιλήσιος . . τὰ μετὰ Δαρεῖον ἐν βιβλίοις ε', περιήγησιν οἰκουμένης, Περσικά, ἰάδι διαλέκτῳ, Τρωικῶν βιβλία γ', qua in tabula extremi libri μυθικά et κύκλος ἱστορικός gravissimam dubitationem excitant (cf. etiam Bernhardyum de tota re disputantem Dionys. Perieg. p. 490 sq.); s. Ἵππυς . . κτίσιν Ἰταλίας, Σικελικῶν βιβλία ε', χρονικὰ ἐν βιβλίοις ε', Ἀργολικά, quem titulum olim in fronte conlocatum Suidas cum tabulam iterum pervolaret in fine subiecit; s. Φύλαρχος, cuius in tabula primarium opus initio conparet, cetera κατὰ στοιχεῖον procedunt; denique eiusdem ordinis vestigia non evanuerunt in indice s. Χάρων Λαμψακηνός quantumvis obturbato. Pariterque peculiarem auctorem arguunt tabulae in quibus librorum numerus sedulo notatur, s. Ἔφορος (displicet autem Marxii [Ephor. Frg. p. 32] opinio, cf. Muellerum F. H. G. I, p. LXI, et vide nos Mus. Rh. l. s. c. 62 sq.), s. Κτησίας, s. Ξάνθος, s. Χάρων Λαμψ., al. Praeterea ad πίνακας referre non dubito amplissimas tabulas s. Φιλόχορος et s. Πολέμων, quae ex argumento dispositae fuisse videntur (adi l. l. 63). Nec desunt alii indices qui eandem indolem prodant, tamen has singillatim examinare ab hoc loco alienum est.

Denique de oratorum Atticorum tabulis pauca proponam. In quibus Suidas orationum numerum significasse plerumque satis habebat, quanquam ne id quidem ubique curabat. Testimonia vero

---

fere Wachsmuthii doctissimae liberalitati debentur: cuius quidem ratio adeo mihi adrisit ut meam hac de re opinionem abiecerim.

de numero orationum, quae a ceteris diversa Suidas Eudociaque unice servarunt (cf. s. Δείναρχος, Λυςίας) ad proprium fontem redire facile pro se quisque concedet (cf. Alfr. Schoenium annal. phil. t. CIII (1871), p. 787; Blassium Oratt. Att. Hist. I, 364). Neque alphabeticae quidem dispositionis desideratur exemplum: s. Λυκοῦργος.. λόγοι δ' αὐτοῦ εἰςι γνήςιοι οἱ ςωζόμενοι κατ' *Ἀ*ριςτογείτονος, κατ' *Αὐ*τολύκου, κατὰ *Λ*εωκράτους, κατὰ *Λ*υκόφρονος β', κατὰ *Λ*υςικλέους, κατὰ *Μ*ενεςαίχμου, ‖ κατὰ *Δ*ημάδου, *ἀ*πολογία πρὸς τὸν αὐτόν, ὑπὲρ τῶν *εὐ*θυνῶν, πρὸς *Ἰ*ςχυρίαν, πρὸς τὰς *μ*αντείας, ‖ περὶ τῆς *δ*ιοικήςεως, περὶ τῆς *ἱ*ερείας, περὶ τῆς *ἱ*ερωςύνης(?)· ‖ ἐπιςτολαὶ καὶ ἄλλα τινά. Atque eundem ordinem animadvertimus in tabulis horunce scriptorum licet non ad illam ipsam aetatem revocandorum: s. Ἀριςτογείτων Κυδιμάχου, Θεοδέκτης Φαςηλίτης, Εἰρηναῖος γραμματικός, Νικάνωρ, Παλαίφατος Αἰγύπτιος, Σῆμος, Ὡρίων Ἀλεξανδρεύς.

Caput VII.

De fontibus ex quibus Hesychius in vitis eorum scriptorum qui post Hadriani aetatem floruerunt hauserit quaestiones selectae.

Sequitur ut illud etiam exploretur, unde narrationes de oratoribus sophistis grammaticis medicis nec non de historicis philosophis, qui post Hadrianum vixerunt, Hesychius deprompserit. Qua in re consentaneum est eorum hominum memoriam, qui a sua ipsius aetate prope aberant, propria notitia illum descripsisse. Quod in grammaticorum vitas inprimis cadere videtur, utpote quibus homines Byzantini operam inpensius navaverint. Verum quae de ceteris quorum aetas ab Hesychiana paulo longius recedit pro certo explorasse nobis videmur, iam breviter exponamus. Ac primum quidem peculiarem sibi vindicant auctorem notationes magna ex parte uberrimae de oratoribus et rhetoribus qui Marci Antonini temporibus floruerunt: s. Ἀριςτείδης Ἀδριανεύς, s. Ἀδριανός (ἀντιςχολαςτὴς Ἀριςτείδου τοῦ ῥήτορος ἐν Ἀθήναις γενόμενος), s. Ἀςπάςιος Βύβλιος (ςυγχρονῶν Ἀριςτείδῃ καὶ Ἀδριανῷ), s. Ἡρώδης (ςύγχρονος ἦν Ἀριςτείδῃ ςοφιςτῇ), s. Νικόςτρατος (ἐτάχθη δ' ἐν τοῖς κριθεῖςιν[53]) ἐπιδευτέροις ι' ῥήτορςι (cf. O. Crusium Leipz. Stud. II, 228), ςύγχρονος Ἀριςτείδου καὶ Δίωνος τοῦ Χρυςοςτόμου), quibus adnumero glossam s. Πολέμων (διδάςκαλος Ἀριςτείδου τοῦ ῥήτορος.. ἦν δ' ἐπί τε Τραϊανοῦ καὶ μετ' αὐτόν). Has omnes vitas conmuni vinculo contineri inde patet, quod singu-

---

[53]) De vocabulis κρίνεςθαι et ἐγκρίνεςθαι cf. Ruhnkenium Hist. cr. orat. Graec. p. XCVII.

lorum hominum aetas ad relicuorum tempora dirigitur. Accedit quod Nicostratus ἐν τοῖς κριθεῖσιν ἐπιδευτέροις ι' ῥήτορσι fuisse dicitur: huc adprime conveniunt quae in Aristidis vita (Βιογρ. 327, 7) de tertia ῥητόρων φορᾷ quae nuncupatur narrantur: τρίτην οὖσαν ἐπιστήμην, ἧς ἐστι Πολέμων, Ἡρώδης, Ἀριστείδης καὶ *οἳ κατὰ τούτους τοὺς χρόνους γεγόνασι* ῥήτορες. Haec omnia vestigia non permittunt solum sed cogunt paene, ut credas vitas illas ditissimas ex peculiari opere quod ἐπιδευτέρους ῥήτορας κατὰ χρόνους conprehenderit promanasse; eidemque fonti librorum tabulae quae s. Ἀδριανός, Ἀσπάσιος, Νικόστρατος reperiuntur deberi videntur.

Dehinc ad paulo recentiora tempora descendere placet, *Constantini nimirum et Iuliani imperatorum.* Huius vero aetatis scriptorum vitas perquirenti a testimonio proficiscendum est quod extat s. Ὀνάσιμος Κύπριος.. ἱστορικὸς καὶ σοφιστὴς *τῶν ἐπὶ Κωνσταντίνου γενομένων.* Ad eadem tempora referuntur Γυμνάσιος, Θέων Σιδώνιος, Ἰάμβλιχος φιλόσοφος, Οὐλπιανός (de duabus Ulpiani notationibus cf. Rohdium Gr. Roman, p. 467, n. 3), Παῦλος Αἰγύπτιος, Παλλάδιος. Praeterea testimonium satis memorabile invenitur s. Εὐσέβιος Ἀράβιος, σοφιστής, *ἀντισοφιστεύσας καὶ αὐτὸς Οὐλπιανῷ,* quae verba nulla Eusebii tanquam Ulpiani aemuli memoria antea iniecta ad tale opus, quo Constantinae aetatis sophistae (cf. s. Οὐλπιανός, Προαιρέσιος) una serie fuerint conprehensi, necessario relegant (cf. etiam quae supra exposuimus p. 407). Ac pariter vitas scriptorum qui Iuliano regnante inclaruerunt horunce velim consideres: s. Ἱμέριος· σοφιστὴς τῶν ἐπὶ Ἰουλιανοῦ τοῦ βασιλέως, ἀντιπαιδεύσας Προαιρεσίῳ ἐν Ἀθήναις; s. Προαιρέσιος, s. Λιβάνιος.. Ἀντιοχεύς, *εἷς* (quod ego addidi) *τῶν ἐπὶ* (sic dedi libros AVE fortasseque B secutus) *Ἰουλιανοῦ τοῦ βασιλέως* χρόνων καὶ μέχρι Θεοδοσίου τοῦ πρεσβυτέρου; s. Θεμίστιος, Ἀκάκιος, Χρυσάνθιος, Ἀπολινάριος.. γεγονὼς ἐν ἡμέραις Κωνσταντίνου καὶ Ἰουλιανοῦ τοῦ παραβάτου *καὶ ἕως τῆς ἀρχῆς Θεοδοσίου τοῦ μεγάλου,* σύγχρονος Βασιλείου καὶ Γρηγορίου.. ἐγένετο δὲ γνώριμος ἀμφοτέρων καὶ Λιβανίου τοῦ σοφιστοῦ καὶ ἄλλων τινῶν. Haec indicia nonne tanquam digitum intendunt ad auctorem, qui illius aetatis sophistas ad Constantini Iulianique imperium apte disposuerit? Is vero quis fuerit pro certo enucleari nequit, sed coniectura me quidem iudice haud inprobabilis in promptu est. Reminiscere modo generalia quaedam enchiridia Hesychio conmodissimum fuisse adminiculum. Iam autem cum inter eos sophistas, quos Iuliano imperatore floruisse supra vidimus, Libanius et Apolinarius usque ad Theodosii Magni regnum vitam perduxisse dicantur, nescio an hinc consectarium sit Theodosianae aetatis auctorem Hesychio adcuratas illas notationes subministrasse. Qualem librum conposuit *Heliconius χρονικὴν ἐπιτομήν (ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ μέχρι Θεοδοσίου* τοῦ μεγάλου, cf. Suid. s. Ἑλικώνιος σοφ.) eum inscriptum, ipse a Suida bis laudatus,

s. Ἀπίων .. Αἰγύπτιος, κατὰ δ' Ἑλικώνιον Κρής (verba continua num ad eundem pertineant non liquet), et s. Ἀρριανὸς Νικομηδεύς.. ἦν δ' ἐν Ῥώμῃ ἐπ' Ἀδριανοῦ καὶ Μάρκου καὶ Ἀντωνίνου[54]) τῶν βασιλέων καὶ ἀξιωμάτων μεταλαβὼν καὶ μέχρις αὐτοῦ τοῦ ὑπατεῦσαι, καθά φησιν Ἑλικώνιος, διὰ τὴν τῆς παιδείας δεξιότητα (cf. etiam Rohdium Mus. Rh. n. XXXIII, 182, n. 1, praeterea Eudoc. p. 63 et 165)[55]). Quae testimonia ab Heliconii epitoma repetere non dubito; ex altero vero, si quidem recte Heliconio totum adsignavimus, id certe efficere licebit, singulorum hominum aetatem singulorum imperatorum regno adfixam fuisse: ac plane eandem rationem in significanda scriptorum Constantini Iulianique aequalium aetate supra animadvertimus. Quid igitur probabilius statui potest quam plerasque istas notationes ab Hesychio haustas esse ex eodem opere Heliconii? Nec solum in scriptorum illius aetatis vitis, verum etiam per totam litterarum historiam Hesychio illud commodissimo usui fuisse coniecerim.

Caput VIII.

De Demetrio Magnete *περὶ ὁμωνύμων* scriptore.

Quibus rebus investigatis possit quispiam expectare, ut iam dedita opera de philosophorum notationibus Suidianis quaerere instituam. Sed eiusmodi disquisitio, ut ingenue fatear, opus innumeris difficultatibus inpeditum est: enimvero philosophorum rebus ac scriptis inde a Peripateticorum aetate prae ceteris strenuam operam inpensam esse vitarumque narrationes, cum per multos rivolos diversissimis saepe cursibus fluxerint, a pristina forma sensim degenerasse constat. Potes profecto hanc quaestionem non minus spinosam nominare quam de Laertii Diogenis fontibus cognatam: cognatam dixi, nam in Laertii opere notissimo pedem figere debemus, si quid certi eruere volumus, atque id potissimum quaeritur, qualis ratio inter Suidam Hesychiumve et Laertium intercedat. Quae ut indagetur, Fr. Nietzschius (Mus. Rh. n. XXIV, 211 sqq.) contentis viribus studuit, sed ut verum loquar plane infelici successu. Cuius disputationis vel totum consilium valde displicet; nec enim id egit ut fundamento certis argumentis stabilito suum aedificium superstrueret, sed ex opinionibus parum firmatis sive omnino non probatis conclusiones qualescunque repetiit atque pro exploratis venditavit.[56a])

---

[54]) Verba καὶ Μάρκου Bernhardyus inmerito in suspitionem vocavit, quamvis ne ego quidem sana esse concedam. Sed omnia apte procedunt, modo Photio duce — qui in Bibl. Cod. 58, 11 de Arriano eadem narravit — verba sic transponamus: ἐπ' Ἀδριανοῦ καὶ Ἀντωνίνου καὶ Μάρκου τῶν βασιλέων, quorum illum Antoninum Pium, hunc Marcum Aurelium Antoninum esse existumo. — [55]) Rohdius etiam in verbis glossae Ἐπίχαρμος .. ὡς δὲ Λύκων.. Heliconii nomen (ὡς δ' Ἑλικώνιος = ΔΕΛΙΚΩΝ) reconditum esse suspicatur (vide Flachium Eudoc. et Suid. p. 58, *n. 1), quae* coniectura mihi non adrisit. — [56a]) Pariter nunc iudicat

Existumat vero Nietzschius Laertium Hesychiumque ex eodem fonte — quem Demetrii Magnetis περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων librum esse ait — sed 'cum discrimine' hausisse.[56b])

Hanc Nietzschii opinionem quamvis Hillerus (Mus. Rh. n. XXXIII, 520, n. 1), Wachsmuthius (l. l. XXXIV, 41, n. 1), Flachius (l. l. 50 sq.) addubitaverint, conprobarunt Schneiderus (Call. II, 28, n. 1), Rohdius (Mus. Rh. XXXIII, 203, n. 1), G. Kernius ('Bemerk. zum 10. B. des Laert. D.,' Progr. Gymn. Prenzlav. 1878, p. 2), denique ambabus manibus adripuit D. Volkmannus, quippe qui illius argumenta novis fulcire studuerit ac multo latius patere iusserit (conmentat. 'de Suid. biogr. quaestt. nov.' 1873). Sed ne is quidem, licet plane diversa via eundem ad finem tetenderit, veritatem adsecutus, quin etiam eo audaciae progressus est, ut omnia a semet investigata exempla ad vitas cuiusve generis rettulerit.[57]) Quam Volkmanni argumentationem iam paulo adcuratius examinare lubet. Inde scilicet proficiscitur ille, quod in Suidae vitis verba καὶ αὐτός, καὶ οὗτος similiave aliquotiens ita posita sint, ut in glossa ipsa nil reperiatur quo apte pertineant (p. IV): qua re ni conruptelam statuere praestet quaerendum esse, num forte coniectura pristinus verborum ordo reconcinnari possit. In singulis vero locis explicandis alii aliter elaborarunt, quorum rationes Volkmannus (p. V. VI) prudenter sane examinavit, quantumvis minime omnia probabiliter expedierit. Quae cum ita essent, in hanc rem denuo ita inquirebat, ut omnia istius locutionis exempla (p. VI. VII) ceteraque eiusdem cognominum scriptorum coniungendorum rationis indicia conligeret (p. VIII—X), quibus pensitatis glossas illas ex libro περὶ ὁμωνύμων — cuius Demetrium Magnetem auctorem fuisse autumat — fluxisse contendit. Nec potest negari talia inveniri exempla, quae ad tabulam homonymorum recedere videantur. Sed qui singula intentius consideraverit hinc multa non derivata esse mox intelleget. Ac primum quidem propter temporis rationes ex priore indice has glossas Volkmannus ipse exemit: s. Διογενειανός, Διονύσιος, Πρόκλος, ex altero autem gl. s. Ἀπολλώνιος Τυανεύς, Δίδυμος, Σωρανός, Μαρσύας; dein parum constat de glossis s. Κάδμος νεώτερος et s. Ἀντίμαχος ἕτερος (cf. p. XI). Has tamen posteriori ὁμωνύμων scriptori velut Agresphonti (sive Argesiphonti) vindicandas esse non concedo. Deinde vero alias ob causas haec testimonia removenda videntur:

H. Dielsius (Doxograph. Gr., Ber. 1879, p. 161 sq.), qui Nietzschii temerariam de Diocle Magnete opinionem plane labefactavit. — [56b]) Nietzschiana argumenta uberius refellere ab hoc loco alienum est; debebat certe multo adcuratiorem et circumspectiorem instituere conparationem inter amborum scriptorum vitas ac tabulas. Sed omnino alia fortasse ratione et via totam quaestionem expedire iuvabit, id quod dedita opera alibi periclitabor. — [57]) Huic Volkmanni sententiae refragatus est H. Dielsius Mus. Rh. n. XXXI, 30, not.), fortasse etiam alii, subscripsit tamen L. Eberhardius (Burs. Diar. anniv. 1873, II, 1326 sq.).

s. Διόδωρος, quam glossam Suidas ex Athenaeo X, 431c conpilavit: Δ. δ' ὁ Cινωπεὺc ἐν Αὐλητρίδι.., ita ut verba καὶ αὐτὸc κωμικόc ad poetas comicos antea conmemoratos respiciant; porro quattuor exempla s. Ἱπποκράτης ex medicorum indice quem Philonis Byblii esse credo manifesto petita sunt; nec etiam tres de Sibyllis notationes Demetrio tribuerim, sed multo probabilius Dionysii musicae historiae (cf. supra p. 418); verba denique s. Τυραννίων ὁ νεώτερος.. αἰχμάλωτος δὲ γενόμενος καὶ αὐτόc ab Hermippo Berytio (cf. Wachsmuthium l. l. 142) profecta esse liquet. Tum inter relicua exempla talia sunt in quibus illud καὶ αὐτόc intra ipsam glossam suam nanciscitur interpretationem, ut de homonymorum tabula cogitari nequeat, veluti s. Ἀστυδάμας ὁ νέος, qui et ipse, scilicet ut pater, tragoedias scripsit; s. Διονύσιος, qui ipse quoque tyrannus nominatur pariter ac pater eius; s. Μελανιππίδης, qui item atque avunculus ᾄσματα λυρικά panxisse dicitur (ceterum cf. Rohdium Mus. Rh. n. XXXIII, 213); similiterque res se habet s. Cαπφὼ Λεσβία.

Tali igitur censura adhibita illorum exemplorum numerus valde inminuitur. Quid? quod in altera quoque tabula permulta testimonia reperiuntur a Demetrio Magnete plane aliena. Ea nimirum segreganda sunt, quae meris Suidae aliorumve conmentis debentur; sed nihilo setius talia Volkmannus (p. IX, n. 9 et X, n. 15) in ordinem recepit; enimvero id minime exploratum habet, quando errores id genus orti sint. Num Demetrium talibus erroribus inplicatum esse revera existumat? Apage tandem glossas conmenticias s. Ἀλκμάν (cf. Bernhardyum ad Suid.), s. Ἔφορος ὁ νεώτερος (cf. Marxium Ephor. Fragm. p. 7, Meinekium Anal. Alex. 27), s. Κόριννα (cf. Welckerum in Creuzeri Melet. crit. II, 16), Μαρσύας (cf. Ritschelium opusc. phil. I, 450 sq.), Μένανδρος Ἀθηναῖος, κωμικὸς ἀρχαῖος (cf. Meinekium Hist. crit. com. Gr. I, 270; perperam autem Volkmannus l. l. p. X de iuniore M. quaedam adnotabat); nec secus velim removeantur exempla admodum suspecta haece: s. Ἀντιφάνης (cf. Bernhardyi adnot. et Rohdium Mus. Rh. n. XXXIV, 620), Καρκῖνος, Λίνος; dein nota s. Εὐριπίδης.. τοῦ προτέρου ἀδελφιδοῦς Dionysio[58]) peculiari auctori debetur, quamvis hunc ipsum Volkmannus (p. XVI. XVII) Demetrii aucto-

[58]) Dici fere nequit quantas turbas verba ὡς Διονύσιος ἐν τοῖς χρονικοῖς hominibus doctis dederint, vid. Muellerum F. H. G. IV, 396 sq. Frgm. Chronogr. 147, Rohdium l. l. 194. 195¹, Th. Mommsenium Chronol. Rom. (1858), p. 11, Volkmannum III, p. XVII et n. 27, qui scribendum proposuit: ὡς Δ. ἐν τοῖς κριτικοῖς, cl. Laert. I, 38 οὗ μνημονεύει Διονύσιος ἐν κριτικοῖς; tamen haec sic conrigenda sunt: Δ. ὁ κριτικός (cl. Vit. Isaei in Βιογρ. p. 261, 5). Dionysii vero Halicarnassensis rhetoris librum citari nego; versamur nimirum in opere auctoris nobis ignoti, — an verba illa forsitan depravata atque in hanc fere speciem redintegranda sunt: ὡς Διονύσιος (i. e. musicae historiae auctor) [καὶ Ἐρατοσθένης] ἐν τοῖς χρονικοῖς?

m numero adlegarit; notationes porro s. Θέογνιc τραγῳδοποιητήc scholio ad Aristoph. Acharn. 11, s. Χαιρήμων ex Athen. XIII, ;2 f, s. Φερεκύδηc 'Αθηναῖοc, πρεcβύτεροc τοῦ Cυρίου ex Poryrio (cf. Rohdium l. l. 171, n. 1 et 203, n. 1) ductae sunt; praerea glossa s. 'Αχαιόc, τραγικὸc νεώτεροc· ἔγραψε τραγῳδίαc ι' l propter certam tragoediarum numeri significationem Dionysii ısicae historiae adsignanda videtur; denique testimonio s. Θεανουc χρήματα nil probari planum est; Demetriumque notae s. ὶ ἕτεροc Χαιρήμων auctorem esse veri duco dissimillimum. Quid? od ne aliud praetereaam Suidas (sive Hesychius) ipse duos ὁμωμουc scriptores in diversis fontibus inventos vocibus καὶ ἕτεροc nilibusve conpluries copulavisse videtur (cf. s. 'Αλκιμένηc, Θέογνιc, :όκριτοc, Χαιρήμων).

Quibus testimoniis remotis non multa restant quae Demetrio ssunt adscribi, quamvis ne in his quidem desint quae dubitanem iniciant. At tamen novis argumentis suam Volkmannus inionem fulcire studuit (p. XIII sq.): prae ceteris enim gravissium Demetrianae auctoritatis argumentum in eo positum esse conndit, quod ab ipso Suida Demetrius testis citetur s. 'Icαῖοc, 'Αθηιῖοc τὸ γένοc. Δημήτριοc δὲ Χαλκιδέα φηcὶν αὐτὸν εἶναι, . Harpocr. s. 'Icαῖοc. Huic tamen rei multum tribuere ideo nolim, ıod Hesychius non ipse quidem, sed auctor qui glossam suppedivit Demetrii in causa ambigua testimonium Hermippi Callimachei f. Dionys. H. vit. Isaei in Βιογρ. 260, 11 sq.) auctoritati opposuit.

Alterum vero documentum in glossa s. Δείναρχοc cum Dioysii Halicarnassei (Vit. Dinarch. in Βιογρ. 316, 19 sq.) verbis conta cerni adfirmat. Suidae nimirum cum Demetrio id prorsus connire ait, quod ipse nec de vita Dinarchi — ceterum hoc non verum se ex verbis extremis intellegitur — quicquam proferat et quo tre natus fuerit traditum esse disertim neget, unde ex illius auctoate pendere Suidam adpareat. Sed tale argumentum ad persuandum neutiquam adpositum est. Nam inde quod duo de orationum mero testimonia a Suida proferuntur, in rebus certe pinacograicis alius praeter Demetrium scriptoris conspicitur auctoritas; nec lkmannum (p. XIII) id ipsum latuit. Sed talem inter illos ration interesse dispicio, ut alter Demetrii parcas de Dinarcho notanes novis quibusdam locupletatas Hesychio suppeditaverit. Ipsum o Demetrium adisse Hesychium diffidô.

Nec magis cetera argumenta ad Volkmanni sententiam staiendam quicquam conferunt. Is nimirum Diogenis et Pseudotarchi aliquot locis cum Suida conparatis alias quoque notitias ex o Demetrio in 'Onomatologum' inmigrasse evincere conatus est. l spem elusit eventus. Nonne alius scriptor Hesychio Demetrii rationes tradere potuit? An inde revera consequitur ut Detrium ipsum Hesychius inspexerit? Postremo in exemplis Volknni cura conlectis nonne sat dilucidum est Suidam s. Δημοcθένηc

ipsa Pseudo-Plutarchi verba (cf. Βιογρ. 281. 287) una cum elegia descripsisse atque s. Διογένης, Κράτης, Ἡρακλείδης Laertium (VI, 79, 88; V, 89) conpilasse?

Itaque non recte Volkmannus omnium fere scriptorum vitas Hesychianas ab eodem Demetrio auctore repetiit neque etiam in fine totius disputationis explanavit, quonam itinere Demetrianae copiae in 'Onomatologum' fluxisse videantur, quamvis merito reiecerit praeposteram Nietzschii (l. l. 227) opinionem Demetrii indices ὁμωνύμων ab Agresphonte (seu rectius Argesiphonte, cf. Volkmannum p. XI, n. 18, vel Agesiphonte, cf. Rohdium Mus. Rh. n. XXXIV, 621, n. 2) continuatos esse ariolantis. Verum tamen cum Hesychius in graviores errores incidisset a Demetrio fere alienos, plus semel opus Demetrianum quasi rescriptum esse coniecit, praesertim cum post illius aetatem in eodem scribendi genere multi elaborassent. Neutiquam igitur adparet, qualis intersit ratio inter Demetrium eosque auctores ex quibus hausisse Hesychium exploratum est, Hermippum scilicet Berytium, Dionysium Halicarnassensem, Philonem Byblium, alios. Sed ut tota quaestio ad umbilicum deducatur rem ita conparatam esse censeo, ut hi ipsi auctores praeter ceteros primarios fontes Demetrii quoque Magnetis opus adhibuerint. Quod nemo, opinor, diffitebitur; verum Demetrium inter Hesychii auctores principem obtinuisse locum vix ac ne vix quidem credo.

Caput IX.

De *οὗτος* vocabuli similiumque apud Suidam usu et consilio.

Postquam uberrimam de Hesychii Milesii fontibus disputationem absolvimus, aliam viam significare placet eamque plane singularem, quae ad Suidae fontes aperiendos non sine fructu quodam iniri posse videtur. Suidae nimirum ipsius sive etiam Hesychii usum dicendi qui acriter consideraverit, is ad subtiliorem investigationem ac planiorem cognitionem rationis qua Suïdas (Hesychiusve) diversas diversorum auctorum notationes in unam glossam conglutinaverit multum, opinor, fructus percipiet. Sic ut unum, quod Wachsmuthius primus me docuit, iam paulo enucleatius exponam, in his biographicis saepenumero vocabulum οὗτος initio enuntiati ita positum videmus, ut in hanc rem inquirere operae pretium esse duxerim. Neque elusit operam eventus: etenim ut ilico profitear, Suidas (sive etiam Hesychius, id quod conpluries nequit discerni) ista voce tum uti videtur, cum ab uno ad alterum fontem deflectit. Quod si aliquot saltem exemplis iisque gravissimis probatum extraque omnem dubitationem positum erit, in ceteris locis eandem vocem eidem causae significandae inservire haud temere conicere poterimus praesertim si alia accesserit suspitionis nota. Sed iam ante omnia ea exempla conquirenda sunt, in quibus vocabulum οὗτος *hoc consilio* usurpari pro certo exploratum est. Qualia repe-

riuntur s. Περίανδρος .. ἔγραψεν ὑποθήκας .. ἔπη ͵β. οὗτός ἐστι Περίανδρος ... ἀποθανών, quam glossam totam e Laertio compilatam esse M. Schmidtius (Dīdym. p. 393) parum recte iudicavit, immo sic res se habet, ut Suidas a verbis ipsis οὗτός ἐστι ... Laertium (I, 97) descripserit. Ac pariter in gl. Πιττακός altera particula quae a verbis τούτου ἀπόφθεγμα incipit una cum poematum tabula (de qua vide supra p. 430, n. 23) e Laertio (I, 74, 79) ipso petita est. Ceterum hanc notationem duabus partibus contineri vel inde elucet quod νόμοι bis memorantur, nec feliciter Nietzschius (Mus. Rh. n. XXIV, 223) νόμους et ὑπὲρ νόμων scripta diversa fuisse contendit. Porro in glossis s. Ζήνων .. Ἐλεάτης et s. Ζήνων .. Κιτιεύς idem vocabulum occurrit, eo nimirum loco quo ipsa Laertii verba proferuntur (I. τοῦτόν φασιν κτλ. = Laert. IX, 27; II. οὗτος γὰρ κτλ. Laert. VII, 27); in gl. s. Λέων .. Βυζάντιος (cuius de scriptis vide quae exposuimus Mus. Rh. n. XXXV, 61 sq.) verba οὗτος ἦν σφόδρα παχύς usque ad καιρῷ κτλ. ex Philostrati Vit. Soph. I, 2 p. 485 desumpta sunt. Iam vero satis memorabile illud est, quod Suidas cum hinc ad priorem vel iterum ad novum fontem transilit eadem voce (οὗτος ὁ Λέων ..) denuo utitur, qua re usus ille luculenter firmatur. Quae animadversio etiam in glossam Φίλων Ἰουδαῖος quadrare videtur, ubi Suidas Philonis operibus ex Sophronio enumeratis (cf. Kusterum ad Suid.) ad fontem antea adhibitum recurrit verbis λέγουσι τοῦτον .. κινδυνεῦσαι.

Deinde vero in v. Ἐρασίστρατος verba οὗτος — Σάμου Suidas aliunde ac relicua hausisse videtur, cum eandem historiam prolixius narrent Plutarchus (Demetr. p. 907), Appianus (de bell. Syr. p. 204), Valerius Maximus (V, c. 7), alii. Tum in v. Πρόκλος ὁ Λύκιος scriptis recensitis sic pergit Suidas: οὗτός ἐστι Πρόκλος ... quibus verbis Proclum qui adversus christianos scripserit acriter invehitur, quae quin unice Suidas adiecerit nemo eius consuetudinis gnarus dubitabit. Denique in v. Φιλήμων comoediis enumeratis quae verba secuntur οὗτος ὁ Φιλήμων ἄπηρος ἦν teste Suida ipso ex Aeliani libro περὶ προνοίας derivata sunt. In his igitur glossis similiter ac supra in gl. Περίανδρος et Πιττακός auctorum operibus conmemoratis nonnulla adiecta cernimus, quae alii auctori sive Suidae ipsi deberi ut per se ipsum veri simillimum est sic hisce exemplis in clara luce conlocabitur, quae deinceps proferam haec illa paucis verbis inlustrans:

s. Βαβρίας (cf. de hac nominis forma O. Crusium Leipz. Stud. II, 189, n. 4) ἢ Βάβριος .. οὗτος — μετέβαλεν, in quibus vel oratio sat horrida alienum arguit auctorem.

s. Θουκυδίδης .. οὗτος — Ἡροδότου, quae verba alio ex fonte manasse apertum est (cf. Marcellini Vit. Thuc. 54), non secus atque quae infra secuntur οὗτος ὁ Θουκ. Marcellino (l. l. 1) debentur. Itaque ex tribus diversis particulis Suidae de Thucydide narratio conposita est.

s. Δείναρχος..ἐτελεύτησε δ' οὗτος..., quae verba ad alium Dinarchum Westermannus (Βιογρ. p. 322) iure revocavit, cl. Plut. Phoc. 33.

s. Δημάδης Ἀθηναῖος.., οὗτος κατέλυσε... Haec manifesto diverso ex fonte fluxerunt. Nec praetereundum in glossa continua Δημάδης Λακ. verba τοῦτον εἰσεποιήσεν.. aliunde huc involasse, quae merito delevit Pluygersius (de Demad. p. 5 sq.).

s. Ἑρμαγόρας Τήμνου.. ἐπαίδευσε δ' οὗτος μετὰ Κεκιλίου, ex Philone fortasse deprompta.

s. Ἰάμβλιχος.. οὗτος λέγει περὶ Ζωβαρᾶ, cf. Phot. p. 248; s. Λιβάνιος.. οὗτος καὶ ἐπὶ τῶν χρόνων ἦν Βασιλείου.. καὶ Γρηγορίου τοῦ θεολόγου, quorum verborum vel indoles Hesychium Suidamve prodit auctorem; s. Προαιρέσιος.. οὗτος — ἐθαύμαζεν alienam prae se ferunt personam; s. Δικαίαρχος Φειδίου.. οὗτος ἔγραψε τὴν πολιτείαν Σπαρτιατῶν, quae verba una cum sequentibus a proprio auctore profecta sunt, qui legem illam a Lacedaemoniis conditam enarraverit. Nec potest dubitari, quin Hesychius sive Suidas si hunc librum in eodem fonte ac relicuos repperissent in priorem tabulam rettulissent, idemque cadit in verba quae in fine v. Φαβωρῖνος leguntur: οὗτος — γνωμολογικά.

s. Διοκλῆς.. κωμικός.. τοῦτον δέ φασιν εὑρεῖν, cf. Casaubon. ad Athen. V, c. 4, Suid. s. Ὀξύβαφον.

s. Ὑπατία.. αὕτη διεσπάσθη.. cf. Socrat. Hist. Eccl. VII, 15, et nunc St. Wolfium 'Hypatia..' Progr. Czernow. 1879, p. 40.

Tres glossas nunc proponam, in quibus scripta quae vocabulo οὗτος ceteris adnectuntur propter id ipsum gravissimam habent dubitationis causam: s. Ἀριστέας.. ἔγραψε δ' οὗτος καὶ καταλογάδην· θεογονίαν εἰς ἔπη ͵α (cf. Hillerum l. l. 522), s. Παρθένιος Χῖος.. οὗτος ἔγραψε καὶ περὶ μεταμορφώσεων, quae verba iam a Fabricio (Bibl. Gr. III, 309) in suspitionem vocata Bernhardyus uncis saepsit utpote ex v. Νέστωρ huc invecta (cf. Meinek. Anal. Alex. 270), s. Ἰάσων Μενεκράτους.. ἀπὸ δὲ μητρὸς Ῥόδιος.. οὗτος ἔγραψε καὶ περὶ Ῥόδου.

Quibus expositis ulterius progredi audeo nec dubito omnes fere notitias quae librorum tabulis adnectuntur, quamvis non ubique vocabulum οὗτος adhibitum sit, novo vindicare auctori, quem saepius ipsum eruere possumus. Sed iam omnia exempla conponam: quae si quis cum praecedentibus verbis contenderit, non tam indole et condicione quam argumento ipso a ceteris longe recedere facile perspiciet: s. Ἡσίοδος.. ἐτελεύτησε δ' ἐπιξενωθείς..; s. Ὀππιανὸς Κίλιξ.. ἀναγνωσθέντων δὲ τῶν ποιημάτων..; s. Ἤριννα (cf. supra p. 415), s. Κόριννος.. ἔγραψε δὲ καὶ τὸν Δαρδάνου.. πόλεμον; s. Ἀλκμάν.. πρῶτος δ' εἰσήγαγε.. — ceterum de iis testimoniis, quae vocabulo πρῶτος similibusve subiunguntur, infra seorsum agetur; Ἀνακρέων (cf. p. 430); s. Ἀρίων.. λέγεται καὶ.. εὑρετὴς γενέσθαι; s. Ἴβυκος.. συλληφθεὶς δ' ὑπὸ λῃστῶν, cuius narratiunculae vel tota indoles a prioribus satis diversa alienam ar-

guit originem (cf. etiam Welckerum Mus. Rh. I, 401 sq., a quo dissensit Ritschelius, vid. O. Ribbeckium, 'Fr. W. Ritschl' I, 310); s. Ἱππῶναξ (Ἵππυς), cf. p. 409; s. Σαπφώ, cf. p. 428; s. Σόλων.. καὶ φέρεται αὐτοῦ ἀπόφθεγμα, quae verba ex Laertio (I, 63) delibata esse videntur; at totam glossam ex frustulis Laertianis conflatam esse M. Schmidtii (Didym. 393) opinio est parum probabilis; s. Στησίχορος.. φασὶ δ' αὐτὸν — τυφλωθῆναι, quam fabellam aliunde promanasse sponte elucet; s. Αἰσχύλος.. οὗτος πρῶτος εὗρε.., quae peculiari auctori deberi infra patebit. Sed Aeschyli in tragica arte inventa ubi enarravit Hesychius ad priorem revertit fontem, deinde a verbis φυγὼν δ' εἰς Σικελίαν tertium describere incepit; s. Λυκόφρων.. ἔγραψε καὶ τὴν.. Ἀλεξάνδραν, τὸ σκοτεινὸν ποίημα, quam notitiam Suidas e sua ipsius memoria subiecisse videtur; s. Θεοδέκτης.. ἔγραψε δὲ καὶ τέχνην ῥητορικὴν.. καταλογάδην, quae num recte Theodecti tragico Suidas adscripserit contra Meinekium dubito; s. Σοφοκλῆς Ἀρίστωνος.. ἔγραψε καὶ ἐλεγείας, quarum memoria certe non indidem ac tragoediarum ex pinacographicis fontibus haustarum Hesychio innotuit; s. Φιλοκλῆς.. Αἰσχύλου δὲ — ἀδελφιδοῦς, quae verba ad librum revocanda videntur, qui Aeschyli progeniem tragicae arti pariter deditam pertractaverit; s. Πλάτων κωμικός.. ἔστι δέ.. χαρακτῆρα; s. Λύσιππος.. καὶ ἕτερα αὐτοῦ δράματα, Θυρσοκόμος (cf. Volkmannum I, 37); s. Ἀναξανδρίδης.. καὶ πρῶτος οὗτος — εἰσήγαγεν; s. Τιμόθεος.. καὶ Κυνάριον Τιμοθέου δρᾶμα, ὥς φησιν Ἀθήναιος ἐν τοῖς αὐτοῦ; s. Φόρμος.. ἐχρήσατο δὲ πρῶτος — φοινικῶν, quibus fabula ex Athenaeo petita adnectitur; s. Ἀντίπατρος.. καὶ ἐπετρόπευσε..; s. Δίκτυς.. οὗτος ἔγραψε.. (quae verba fortasse ad alium scriptorem referenda sunt; sed de tota glossa mox alio loco adcuratius disputabimus); s. Ποσειδώνιος Ἀλεξανδρεύς.. καὶ οἶμαι ταῦτα — Ὀλβιοπολίτου, quae verba quin ipse Hesychius scripserit dubitari nequit; s. Λυσίας.. τῷ δὲ καθαρῷ — πρὸς μειράκια; s. Αἴσωπος, Μιθριδάτου.. ἔγραψε καὶ ἐγκώμιον, ubi verba ἔγραψε περὶ Ἑλένης.. ex libro Aesopi de Helena ducta sunt (id quod iam Kusterus perspexit), conl. Phot. Cod. CXC fin., cum quae insecuntur (ἔγραψε καί) generalem redoleant fontem; s. Ἡρώδης.. φέρονται δ' αὐτοῦ καὶ — τελευτᾷ; s. Δημήτριος.. Φαληρεύς.. οὕτω δ' ἦν σφόδρα εὐπρεπής, ex Laertio (V, 76) fortasse petita; s. Δημόκριτος.. ἔγραψε δὲ καὶ ἐπιστολάς, quarum fides per se admodum suspecta alienam prodit originem.

Dehinc ad usum vocabuli οὗτος latius investigandum praevertamur. Ac primum quidem aliquot testimonia proferam, quae licet non omnia voce illa distincta sint ad peculiarem tamen auctorem redire aliunde conpertum est, Hermippum dico Berytium (cf. Wachsmuthium l. l. 140 sq.):

s. Ἀντίμαχος.. τινὲς δὲ καὶ οἰκέτην αὐτὸν ἀνέγραψαν — Στησιμβρότου; s. Ῥιανός.. οὗτος δ' ἦν.. Ἐρατοσθένους; s. Ἀλ-

cωπoc . . μᾶλλον δέ τινές φασι — μόνον (hinc enim Hermippum descripsisse videtur Hesychius, Wachsmuthius autem verba οἰκέτην — γεννᾷ illi vindicat) — γεννᾷ; s. Παρθένιος . . οὗτος ἐλήφθη — Τιβερίου; s. Φιλόξενος . . οὗτος — λυρικοῦ (quae post librorum recensum enarrantur); s. Ἀριστοφάνης . . τινὲς δ' αὐτὸν καὶ ἀπόδουλον ἱστορήκασιν; s. Ἴστρος . . Ἕρμιππος δ' αὐτὸν . . δούλων; s. Αἰσχίνης . . τινὲς δὲ καὶ — γεγραφήκασιν; s. Σιβύρτιος . . οἰκέτης, ὃς ἐρρητόρευσεν οἰκετῶν πρῶτος; s. Φαίδων Ἠλεῖος . . τοῦτον — ἐν Ἀθήναις; s. Ἀλέξανδρος ὁ Μιλήσιος . . ὃς Πολυΐστωρ — οὗτος συνέγραψε; sola enim haec verba Hermippi auctoritate niti videntur, cum Wachsmuthius verba usque ad ἠλευθερώθη illi adscripserit. Nec non totam fere glossam s. Ἐπαφρόδιτος (Ἀρχίου — συγγράμματα) Hermippo tribuerim, cum de Epaphroditi vita uberrime ne minutiis quidem spretis agatur.

Iam igitur cum eae narrationes, quae a proprio auctore sine dubio repetendae sunt, eodem vocabulo οὗτος sive etiam vocibus καί et δὲ καί prioribus soleant adnecti, hac ipsa re usus verborum illorum denuo firmiter munitur. Ac nunc credere profecto licebit Suidam Hesychiumve cum illis vocibus utuntur plurima ex parte ab uno ad alterum fontem deflectere. Sed conligam omnia exempla quae aliunde fluxisse videntur: neque adeo raro accidit ut diversa eorum origo argumentis ex aliis rebus petitis probari possit. Praeterea scito me omnia id genus testimonia conquisivisse seu οὗτος vocabulo seu alio quod eidem usui inservit distincta. Quae quidem si paulo intentius inspexeris a praecedentibus verbis toto habitu et indole satis diversa esse lubenter mihi concedes:

s. Ἀριστέας . . τούτου φασί — εἰς ἔπη ‚α, quae post librorum recensum posita esse velim consideres, cf. etiam Max. Tyr. XVI (p. 288) et XXXVIII (p. 222); s. Ἐπιμενίδης . . οὗ λόγος — κατάστικτον (cf. Hesych. Mil. ed. Orelli p. 20), et οὗτος ἔζησεν . . ἀποθέτων; s. Εὔμολπος . . οὗτος ἔγραψε — βιβλίον α', quibus de verbis Bernhardyum (ad Suid.) ausculta disputantem, omnem hanc narrationem ex carmine Eumolpio deflexam videri, quod ad Musaeum a quibusdam esse relatum Pausanias (X, 5) doceat (ceterum cf. supra p. 418); s. Πίγρης . . ὃς — ἐλεγεῖον . . ἔγραψε καὶ — Βατραχομυομαχίαν, ubi priora verba aliunde petita esse vel inde elucet, quod vocula καί ad primarium fontem manifesto recurritur; s. Πτολεμαῖος Κυθήριος . . οὗτος ἔγραψε — ἔχουσα, quae verba Suidam ex alio fonte hausisse id ipsum docet, quod non ad Ptolemaeum epicum sed ad P. grammaticum unice pertinent (cf. Phot. Bibl. p. 150 A; Meinek. F. C. G. III, 219); s. Ἀντιγενίδης . . οὗτος . . πρῶτος ἐχρήσατο; s. Λᾶσος . . πρῶτος δ' οὗτος — λόγους; s. Σιμωνίδης Λεωπρεπ. . . καὶ τὴν μνημονικὴν δὲ τέχνην εὗρεν οὗτος — φθόγγον; s. Σωτάδης . . ἐχρήσατο δὲ τῷ εἴδει τούτῳ . . Ξέναρχος, quae nescio an ex Athenaeo (XIV, p. 620 e) deprompta sint; s. Αἰσχύλος . . οὗτος — χρῆσθαι; s. Σοφοκλῆς . . οὗτος πρῶ-

τος — ἐδίδαξε; s. Ἀλέξανδρος Αἰτωλός .. γραμματικός.. οὗτος καὶ τραγῳδίας ἔγραψεν — ἡ Πλειάς, cuius notationis partem priorem ad Asclepiadem supra revocavimus (p. 458), altera vero diversam originem prodit; s. Θεοδέκτης.. οὗτος καὶ — τὰ πρωτεῖα, quorum verborum condicio ad Hermippum Callimacheum relegat, quem περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν peculiarem scriptionem conposuisse constat (cf. Athen. X, 451 e); inspice etiam v. Θεόπομπος et praecipue v. Ἰσοκράτης Ἀμύκλα (praeterea conferas has glossas: s. Ἀνδροτίων, Ἀστυδάμας, Δημοσθένης, Ἔφορος (s. Ἔφιππος), Θεόκριτος Χῖος, Θρασύμαχος, Ἰσαῖος, Κόκκος, Ὑπερείδης, Φιλίσκος Μιλ.); s. Ἴων Χῖος .. οὗτος ἔγραψε — φησί, quibus in verbis conscribillandis manifestum Suidae mendacium Bentlei (Epist. ad. Mill. p. 66) acumine pridem deprehensum est (cf. Schol. Arist. Pac. 836); s. Θέσπις .. καὶ πρῶτος — ἐδίδαξε; s. Πρατίνας — ἐπιδεικνυμένου δὲ τούτου — Ἀθηναίοις (cf. s. Αἰσχύλος); s. Φρύνιχος Πολυφρ. .. οὗτος δὲ πρῶτος — ἐγένετο; s. Εὔπολις .. καὶ ἀπέθανε — πολέμῳ. καὶ ἐκ τούτου — ποιητήν; s. Ἐπίχαρμος .. τινὲς δ' αὐτὸν — ἐν Σικελίᾳ; s. Μόσχος .. οὗτος — ποιητήν; s. Ἀγαθίας — οὗτος — συνήκμασε; verba quae antecedunt ὁ γράψας — Βυζαντίῳ ex alio fonte fluxisse planissimum est; s. Ἰώσηπος, ubi verba priora usque ad ὁ γράψας — ἐν βιβλίοις κ' Suidae ipsius esse adparet, deinde verba οὗτος — ἠξιώθη nescio unde ducta sint, a verbis denique ἔγραψε δὲ καί Suidas vel rectius Hesychius eum delibare fontem incepit, qui ceterorum quoque rerum scriptorum memoriam suppeditavit; s. Μαρσύας Περιάνδρου — οὗτος δ' ἦν πρότερον γραμματοδιδάσκαλος — βασιλέως, quae ab Asclepiade probabiliter repetiisse nobis videmur (cf. p. 458); s. Ἰσαῖος .. οὗτος ἐπαινεῖται — προαγαγών (cf. Plut. Demosth. p. 848); s. Αἰσχίνης .. οὗτος — ἐδημοσιώθη, quae diverso auctori deberi inde consectarium est, quod talia ab Aeschine oratore plane abhorrent (cf. Westerm. Βιογρ. p. 270); verba dein extrema πρῶτος δὲ πάντων .. ἐνθουσιῶν ex Philostrati Vit. Soph. I, 18, 3 parum venuste conpilata sunt; s. Γοργίας .. οὗτος πρῶτος — ἐχρήσατο; s. Δημάδης Λακιάδης .. τοῦτον εἰσεποίησεν — τεχθέντα, quae verba aliunde huc pertracta rectissime delevit Pluygersius (de Demad. p. 11); s. Δημάδης Δημέου .. οὗτος — πρὸς αὐτόν; s. Θέων, σοφιστὴς λόγων ῥητορικῶν .. ἦν δ' οὗτος — περιβαλλόμενος (cf. Phot. Bibl. p. 339 b); s. Ἰσοκράτης Ἀμύκλα .. οὗτος δ' ὁ Ἰσ. — λόγοι ε' (cf. supra); s. Κάστωρ Ῥόδιος .. γήμας δ' οὗτος — διέβαλεν (cf. Strab. XII, p. 568); s. Λουκιανός .. ἦν δ' οὗτος — ὁ παμμίαρος, quae Suidae ipsius esse liquet; s. Ποτάμων Μυτιλ. .. καί ποτε αὐτοῦ — πολεμεῖν; s. Πρωταγόρας .. καὶ ἐπεκλήθη πρῶτος οὗτος σοφιστής. πρῶτος δ' οὗτος — Ἰσοκράτους. διεῖλέ τε πάντα λόγον πρῶτος οὗτος εἰς δ' ..; s. Σώπατρος .. τινὲς δὲ καὶ — φασίν; s. Ἀλέξανδρος ὁ Μιλ. .. οὗτος συνέγραψε — βιβλία ε', quibus

verbis Hesychius paucis ex Hermippo Berytio prolatis ad primarium fontem revertitur; s. Δαφίδας.. ἦν δ' οὗτος.. θεῶν. καί *φασιν* (quod ipse adieci, cf. Mus. Rh. n. XXXV, 67) Ἄτταλον.. (cf. Strab. XIV, p. 647; Val. Max. I, 8, ext. 8); s. Ἀλέξανδρος Αἰγ... οὗτος — πεφυρμένον, quae verba in gl. Νέρων iterum leguntur; s. Ἀμμώνιος.. οὗτος — ὥς φησι Πορφύριος, quae Hesychius ex Porphyrio ipso delibavit, pariter atque in gl. Ἀνδροκλείδης verba οὗτος δ' ἐπὶ Πορφυρίου.. ἐδίδασκεν, ἐπειδὴ μέμνηται — τεχνολόγων (cf. Rohdium l. l. 171, n. 2); s. Ἀνάχαρσις..εὗρε δ' οὗτος — τρόχον (cf. Laert. II, 105); s. Ἀντισθένης.. οὗτος οὖν — Διογένους; s. Ἀπολινάριος — οὗτος οὐ μόνον — ἀμφιδέξιος, quibus enarratis ad priorem deflectit Hesychius fontem verbis usus οὗτος ἔγραψε..; s. Ἀπολλώνιος Τυανεύς.. εἰς τοῦτον ἔγραψε Φιλόστρατος — βίον, verba Suidae ipsius manu adposita; s. Ἀρχύτας.. οὗτος Πλάτωνα — τυράννου, quibuscum Laertiana VIII, 79 conferas; dein verba quae infra secuntur emendavi Mus. Rh. l. l. 67: τοῦτόν φασιν φανερῶς γενέσθαι; s. Ἀφρικανός.. κατὰ τούτου ἔγραψεν Ὠριγένης — εἰς τὸν Δανιήλ a Suida ipso adiecta; s. Ἐμπεδοκλῆς.. οὗτος ὁ Ἐ.. γέγονε δὲ τούτου, quae ex Laertio VIII, 69, 73 hausta sunt; s. Ἡράκλειτος.. οὗτος ὑδρωπιάσας.. τινὲς δ' αὐτὸν ἔφασαν.. (cf. Laert. IX, 3 sq.); s. Θεόδωρος.. οὗτος εἶπε — φέρουσα (cf. Laert. VII, 98); s. Θεόφραστος.. οὗτος πρότερον — Ἀριστοκλῆς (cf. Laert. V, 38); s. Κάλλιππος.. πονηρὸς οὗτος ἱστόρηται — προδότης, quae Suidae ipsius sunt; s. Κράτης Ἀσκώνδου.. ὃς ἐξαργυρίσας.. — οὗτος καταλιπών.. ex Laertio VI, 87. 88 conpilata, dein alius auctoris verba proferuntur, tum verbis ὅτι Κράτης εἶπεν ad Laertium (VI, 86) Suidas recurrit, in fine denique (οὗτος.. κατεπόντωσε) exscripsit Philostratum; s. Πυθαγόρας.. ἐτελεύτα δέ.. πρὸς τοὺς μ′ (cf. Laert. VIII, 39 sq.); s. Φερεκύδης.. Σύριος.. πρῶτον δὲ συγγραφὴν ἐξενεγκεῖν.. τινὲς ἱστοροῦσιν — εἰσηγήσασθαι, quae Rohdius (cf. l. l. 171, n. 1, et 203, n. 1) ad Porphyrium verissime rettulit; s. Ἱπποκράτης..οὗτος ἔγραψε πολλά — αἱ μὲν οὖν γραφεῖσαι, quae verba aliunde certe fluxerunt atque librorum tabula; s. Ἄκρων, qua in glossa tria testimonia discernere licet: 1) usque ad ἔστι δὲ καὶ οὗτος..; 2) usque ad εἰς τοῦτον..; 3) cetera quae secuntur ex Laertio VIII, 65 descripta sunt.

Denique de peculiari notationum Suidianarum genere breviter exponere placet, quas ut certo auctori vindicemus cum vel verborum suadeat aequabilitas tum requirit ipsa rerum similitudo: testimonia dico quae de diversorum poesis aliarumque artium generum primordiis et incrementis hic illic reperiuntur. Quorum iam supra aliquot exhibui vocabulo οὗτος similibusve adnexa prioribus verbis, unde talia aliis fontibus ac cetera deberi adparuit. Sed nunc omnia quotquot eius generis apud Suidam occurrunt exempla sedulo conponam: quorum cum iam Volkmannus (I, 2 sq.) quaecunque ad tra-

gicae comicae lyricae poesis historiam pertinent reliquias conlegisset easque Aristoteli (περὶ ποιητῶν) sive discipulis eius tribuisset (p. 20 sq.), vel plurima vocis οὗτος vel similium Suidae usitatarum ratione habita singulari quisquis fuit auctori iure adsignare poterimus. Hunc vero primitus fuisse Aristotelem Volkmannus, quamvis non ab omni parte iudicium eius conprobem, non male coniectasse videtur; qua tamen via singula fragmenta tot per saecula propagata in Suidae notitiam pervenerint delineare noluit. Quod rimari ne mihi quidem nunc in animo est; id vero suspicari licebit, nec Suidam neque Hesychium ipsos testimonia illa ex peculiari περὶ εὑρημάτων opere delibasse, sed iam Dionysio in musica historia pertexenda nec non Philoni Byblio inter ceteros unum auctorem praesto fuisse, qui omnes de rebus inventis notitias uno volumine conprehenderit. Hic vero quis fuerit difficile enucleatu est; id solum tenemus, has omnes haud volgaris doctrinae narrationes peculiarem sibi et optimum vindicare auctorem. Mitto autem, ne huius libelli moles nimis adcrescat, testimonia ipsa exscribere. Age iam consideremus glossas s. Λίνος, Ἀμφίων (οὗτος . . εὑρετής), Μαρσύας, Ὄλυμπος, Σιμωνίδης Κρίνεω (ἔγραψε κατά τινας . .), Ἱππῶναξ (οὗτος πρῶτος . .), Τέρπανδρος (ὃς πρῶτος . .), Ἀλκμάν, Ἀρίων (post librorum recensum), Λᾶσος (πρῶτος δὲ οὗτος . .), Σαπφώ, Στησίχορος, Ἴβυκος, Μελανιππίδης (ὃς . . πλεῖστα), Φρῦνις (ὃς ἐδόκει), Σιμωνίδης Λεωπρ. (οὗτος . .), Τιμόθεος (ὃς . .), Σίβυλλα Ἀντιγενίδης (οὗτος πρῶτος), Θέσπις (ἄλλοι δὲ . .), Φρύνιχος Πολυφρ. (οὗτος δὲ πρῶτος . .), Χοιρίλος (οὗτος κατά τινας . .), Αἰσχύλος (οὗτος . .), Σοφοκλῆς (οὗτος . .), Πρατίνας, Ἀρίσταρχος (ὃς πρῶτος . .), Νεόφρων (ὃς πρῶτος . .), Ἐπίχαρμος (ὃς εὗρε . .), Φόρμος, Χιωνίδης, Ἀριστοφάνης, Ἀναξανδρίδης, Διοκλῆς (τοῦτον δέ φασιν . .), Ἑκαταῖος, Ἴππυς, Κάδμος Πανδ. (ὃς πρῶτος κατά τινας), Φίλιστος (ὃς πρῶτος . .), Γοργίας (οὗτος πρῶτος . .), Δημάδης Ἀθην. (οὗτος κατέλυσε . .), Θρασύμαχος (ὃς πρῶτος . .), Κέφαλος, Πρωταγόρας (πρῶτος δ' οὗτος . .), Ἀπολλόδωρος, Ἀναξίμανδρος, Ἀνάχαρσις (εὗρε δ' οὗτος . .), Ἀρίστιππος, Ἀρχέλαος, Εὐκλείδης (ὃς καὶ . .), Θεαίτητος, Θεόδωρος, Ξενοφῶν Γρύλου (ὃς πρῶτος . .), Πυθαγόρας, Φερεκύδης. In his narrationibus non desunt quae ad singularem fontem redire argumentis aliunde petitis conpertum habemus: velut quod aliquotiens vocabula οὗτος vel ὅς adhibita videmus, hoc per se ipsum alienum arguit auctorem, cf. s. Ἀμφίων, Ἱππῶναξ, Τέρπανδρος, Λᾶσος, Μελανιππίδης, Φρῦνις, Σιμωνίδης Λ., Τιμόθεος, Ἀντιγενίδης, Φρύνιχος, Χοιρίλος, Αἰσχύλος, Σοφοκλῆς, Ἀρίσταρχος, Νεόφρων, Ἐπίχαρμος, Χιωνίδης, Ἀναξανδρίδης, Διοκλῆς, Φίλιστος, Γοργίας, Δημάδης, Θρασύμαχος, Κέφαλος, Πρωταγόρας, Ἀνάχαρσις, Ἀρχέλαος, Εὐκλείδης, Ξενοφῶν. Porro ab uno ad alterum fontem fieri transitum ipse Suidas indicat in glossis s. Σιμωνίδης Κριν., Σίβυλλα, Θέσπις, Χοιρίλος, Διοκλῆς, Κάδμος, Φερεκύδης; tum talia etiam post librorum recensum vel in calce glossae addita sunt, cf.

s. Ἀλκμάν, Ἀρίων, Σαπφώ, Στησίχορος, Σίβυλλα, Φόρμος, Ἀναξανδρίδης, Διοκλῆς, Δημάδης; atque in v. Κάδμος et v. Ξενοφῶν propria verborum origo vel inde cognoscitur quod illic scripta seorsum, non in eadem tabula ac cetera exhibita sunt; denique in v. Ἵππυς verba καὶ πρῶτος non ad eundem auctorem referenda esse hoc abunde conmonstrat, quod opus αἱ Σικελικαὶ πράξεις inscriptum a Σικελικῶν βιβλίοις ε΄ librorum tabulae insertis non diversum est (cf. Muellerum F. H. G. II, 33; Schaeferum Quellenk. z. gr. Gesch. p. 14).

Caput X.

Suidas quid in vitis contexendis ipse praestitisse videatur.

Quibus rebus expositis quivis fere opinetur me iam explicatius esse enarraturum, quam in singulis vitis conscribendis rationem Hesychius Milesius ipse ingressus sit, quas glossas de sua notitia conposuerit — multas ab hoc ipso confectas iam Schneiderus (Callim. II, 27) congessit —, quae aliorum denique testimoniis subiecerit. Tamen mitto nunc quaestionem, quae est de tota operis Hesychiani conpositione, cum observationes quaslibet selegisse satis habeam, quae ad *Suidae* ipsius operam adumbrandam haud sane levis sint momenti.

Itaque primo loco examinemus, quem ad modum ille Hesychii copias, in quibus cum maxime quae ad poetarum comicorum notitiam pertinent, ex Athenaei 'deipnosophistis' suppleverit locupletaveritque. Harunce nimirum glossarum, in quibus omnibus fere Athenaeus ipse citatur, indoles ea est, ut praeter nomen poetae nil nisi tituli aliquot exhibeantur. Qua in re nullam idoneam causam dispicio, cur cum Bernhardyo (Conment. de Suid. lex. I, 5; II, 9; III, 4) hoc totum genus notationum posteriore demum aetate in Suidam transmigrasse credamus: cuius quidem opinio hoc uno nititur fundamento, quod eas Eudocia in suum usum non converterit (vide etiam Volkmannum I, 36).

Suidas vero in comoediarum titulis delibandis haud raro ita versatus est, ut hos eodem ordine enumeraret quo fortuito Athenaeus diversorum comicorum frustulas conmemoravit. Quae quidem exempla a me conlecta — nam omnia noluit enumerare Volkmannus l. l. — in uno conspectu ponam. s. Τηλεκλείδης· Ἀμφικτύονες IX, 399 a, Πρυτάνεις XIV, 639 a, 648 e, Στερροί 656 e; s. Νικόστρατος· Πάνδαρος (?)[58]), Ἄντυλλος III, 108 c, 118 e, Ἱεροφάνης III, 110 a,

[58]) Libri praebent Πάνδαρος ὃς καὶ (ὁ καὶ) Ἄντυλλος, in quibus Meinekius (F. C. G. I, 348) iure delevit ὃς καί, sed idem parum probabiliter redintegravit Πάνδαρος vel Πάνδροσος (Ath. XIII, 587 d) καὶ Ἄντυλλος. Sic igitur Suidas solitum excerpendi ordinem dereliquisset, quod vix est credibile; sed non inepte opinari licebit Athenaeum in *libro I sive* II titulum Πάνδαρος conmemorasse.

Κλίνη III, 111 c, XI, 499 c, Ἅβρα IV, 135 c, XIV, 654 b; Ἡσίοδος VII, 301 c, Διάβολος XI, 474 b, Ἀντερῶσα XI, 487 b, Ἑκάτη XI, 499 b, c, Μάγειρος XII, 517 a, XIV, 664 a, Πατριῶται[59]) XV, 700 b, Πλοῦτος VI, 247 e, Σύρος XIV, 615 f, Ἀπελαυνόμενος XIV, 664 b, Ψευδοστιγματίας XV, 685 d, Τοκιστής XV, 685 e. Nicostrati comoedias apud Athenaeum conmemoratas non omnes Suidas descripsit (cf. Ath. VI, 230 d; XV, 700 b; XIII, 587 d); in ceteris vero delibandis — id quod nemodum animadvertit — bis Athenaeum pervolavit, primum scilicet a Πάνδαρος (in libro I vel II) usque ad Πατριῶται (XV, 700 b), dein a Πλοῦτος (VI, 247 e) usque ad Ψευδοστιγματίας (XV, 685 d); — s. Φιλέταιρος, ubi tituli praeter unum Κέφαλος omnes apud Athenaeum occurrunt: Ἀχιλλεύς XI, 474 d (qui deest in indice Athenaei Schweighaeuseriano, sed cf. eundem p. 232, Meinekium F. C. G. I, 350), Κορινθιαστής XIII, 559 a, Κυνηγίς XIII, 570 f. (cf. VII, 280 c, alibi), Φίλαυλος XIV, 633 e, Κέφαλος (in I vel II?), Τηρεύς III, 106 f, X, 430 d, Οἰνοπίων IV, 169 e, VII, 280 d, Ἄντυλλος III, 108 c, 118 e, Ἀταλάντη X, 416 f, Λαμπαδηφόροι X, 418 c. Qua in tabula excerpenda Suidam ita versatum esse existumo, ut primum libros XI—XIV, dein l. III—IV, tum l. X evolveret, titulum autem Ἀσκληπιός (VII, 342 a, XI, 487 a) neglegenter omitteret.

s. Ἐπιγένης· Ἡρωίνη XI, 469 c; Μνημάτιον XI, 472 f, Βακχεία XI, 498 e (sic recte Meinekius dedit, cum volgo legatur Βάκχαι).

s. Ἔριφος· Αἴολος IV, 134 c, Πελταστής IV, 137 d, Μελίβοια VII, 302 e, XV, 693 c.[60])

s. Μνησίμαχος· Ἱπποτρόφος VII, 301 d, 322 e, 329 d; IX, 402 f, 403 d, Βούσιρις X, 417 e, Φίλιππος X, 418 b, 421 b, c (et iam antea), omisit tamen Suidas titulum Δύσκολος (VIII, 359 c).

s. Τιμοκλῆς, cuius tabulam expressit Volkmannus (I p. 35 sq.). Sed prave Suidas duos eiusdem nominis poetas distinxit, id quod satis explicabitur si illum Athenaeum bis perlustrasse meminerimus (primum nimirum libros IV et VI, dein iterum l. VI, tum l. VIII—X et XIII inspexisse videtur, cf. etiam Bergkium Hist. Graec. Litt. I, 294, n. 54).

s. Ξέναρχος· Βουταλίων (sic dedi e Reinesii coniectura) II, 63 f, Πορφύρα VI, 225 c, Σκύθαι IX, 367 b, X, 418 d, Δίδυμοι X, 426 b, XV, 693 b, Πένταθλος X, 440 e, 444 e, XIII, 569 a, Πρίαπος XI, 473 f, Ὕπνος XIII, 559 a, Στρατιώτης XV, 679 e.

s. Θεόφιλος, cuius indicem Volkmannus (I p. 36) descripsit.

s. Ἀρχέδικος: Θησαυρός VII, 292 e, 294 b, Διαμαρτάνων XI, 467 e.

---

[59]) Id quod cum Gaisfordio praeter omnem dubitationem restituendum est pro conrupto illo Ὦτης vel Ὦτις (cf. Ath. XV, 700 b), cum Meinekius mihi non persuaserit scribendo Φιλῶτις. — [60]) Legitur volgo apud Suidam ὥς φησιν Ἀθήναιος ἐν τῷ δ' τῶν δ., sed libri ιδ' numerum exhibent. Nonne sic emendandum est: ἐν τῷ ιε', quo testimonio extremam solam fabulam (XV, 693 c), id quod conpluries fit, respexisse ille censendus est?

s. Εὔφρων· Αἴσχρα VII, 307 e (cf. Meinekium l. l. 477), Μοῦσαι VIII, 343 b, Συνέφηβοι IX, 377 d, Θεωροί IX, 399 b; titulum autem Παραδιδομένη (III, 100 d) Suidas neglexit.

s. Φοινικίδης· Φύλαρχος X, 415 e, Μισουμένη XIV, 652 d.

s. Δαμόξενος· Σύντροφοι III, 101 f, Ἑαυτὸν πενθῶν XI, 468 f.

s. Σώπατρος· Ἱππόλυτος III, 101 a, Φυσιολόγος ibid., Σίλφαι III, 101 b, Κνιδία III, 109 e, Νεκυία IV, 160 c, Πύλαι IV, 175 b, XIV, 649 a, Ὀρέστης VI, 230 e, Φακῆ IV, 158 d, VI, 230 e, XV, 702 b (ceterum cf. Mus. Rh. n. XXXV, 64).

s. Τελέστης· Ἀργώ XIV, 616 f, Ἀσκληπιός XIV, 617 b.

s. Χαιρήμων, cuius tabulam cum Athenaeo Wachsmuthius (l. l. 150, n. 40) conparavit.

Praeter ea exempla in quibus Athenaei ordinem secutus est ex eodem Suidas titulos petiit s. Ἀριστώνυμος, Ἡγήμων, Λύσιππος (sed cf. Volkmannum I, 37), Εὔνικος, Ἐπίλυκος, Εὐθυκλῆς (τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστιν Ἄσωτοι ἢ Ἐπιστολή, ubi duas fabulas distinguere malim), Φίλιππος, Ἐπικράτης, Διόδωρος,[61]) Στράτων, Βάτων, Ἐπίνικος, Θεόγνητος,[62]) Δεξικράτης, Εὐάγγελος, Ναυσικράτης, Σώφρων. Denique tabulis aliunde desumptis ex Athenaeo hos titulos Suidas adnexuit: s. Διοκλῆς, Νικοχάρης, Νικοφῶν (cf. Wachsmuthium l. l. 148, n. 36), Σαννυρίων (ibid. 152), Σώφιλος, Τιμόθεος (de cuius universa tabula perperam iudicavit Volkmannus I, 37).

Iam vero si anquirimus, quae fides his omnibus ex Athenaeo conpilatis titulis habenda sit, hanc optimam esse libere fatendum est. Etenim omnia congessi exempla in quibus aliquod δρᾶμα ab illo citatur: unde adparuit et duplicis comoediae inscriptionis et sicubi iudicium de auctoritate alicuius ambiguum erat singulorum auctorum habitam esse rationem.. Quae quidem res egregiam indicant originem. Sed ipsum Athenaeum ausculta loquentem VIII, 336 e: ἐγὼ γὰρ πλείονα τῆς μέσης καλουμένης κωμῳδίας ἀναγνοὺς δράματα τῶν ω′[63]) καὶ τούτων ἐκλογὰς ποιησάμενος οὐ περιέτυχον τῷ Ἀσωτοδιδασκάλῳ Ἀλέξιδος, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἀναγραφῆς ἀξιωθέντι σύνοιδα. οὔτε γὰρ ὁ Καλλίμαχος οὔτε Ἀριστοφάνης αὐτὸ ἀνέγραψαν, ἀλλ᾽ οὐδὲ

[61]) Ubi legitur volgo ἐν δὲ τῷ ιβ′ φησὶν (Ἀθήναιος), ὅτι καὶ Ἐπίκληρος καὶ Πανηγυρισταί, qui numerus perinde non quadrat atque ille quem restituerunt ϛ′. Quare nescio an reponi praestet ἐν . . τῷ β′, quo in libro utrumque titulum laudatum fuisse suspicor. — [62]) Titulum Κένταυρος qui saepius usu venit addidisse videtur Suidas; desideratur certe apud Athenaeum. — [63]) Hic numerus fidem excedit. Nam Anonymus de comoed. p. XXX (Mein. l. l. I, 537) fabularum mediae comoediae numerum χιζ′ (617) fuisse prodit, quem Meinekius (p. 271) cum Athenaei verbis sic conciliare studuit, ut ωιζ′ (817) conrigeret. Sed numerum illum temptare non ausim, cum reputo mecum illud ω′ maiori numero 'rotunde' significando aliquotiens inservire, velut s. Ἀρίσταρχος (λέγεται δὲ γράψαι ὑπὲρ ω′ βιβλία), et s. Καλλίμαχος (τὰ γεγραμμένα βιβλία ὑπὲρ τὰ ω′).

οἱ τὰς ἐν Περγάμῳ ἀναγραφὰς ποιησάμενοι. Itaque tres auctores eosque gravissimos consuluit Athenaeus, Callimachi Aristophanis Pergamenorum grammaticorum πίνακας. Ac multa praeterea exempla luculenter evincunt Callimachi dramatum inscriptiones ab illo esse inspectas (cf. XI, 496 f). Pariterque indices scriptorum ἁλιευτικῶν (I, 13 b), rei culinariae (XII, 516 c), δείπνων ἀναγραφῶν (I, 5 a), carminum cinaedicorum (XIV, 620 e) — quos praeter rei culinariae scriptores Suidas descripsit s. Κικίλιος, s. Τιμαχίδας, s. Σωτάδης — aliorum ex limpidis fontibus πινακογράφων fluxisse Volkmannus (II, 717 sq.) subtiliter exposuit.

His igitur in rebus Suidas provinciam suam haud male administravit. Sed in multis aliis quam turpiter saepe peccaverit nemini profecto ignotum, atque uberius hic enarrare longum est quam multas notationes sua ipsius culpa vel perturbaverit vel conglutinaverit vel dissecuerit.

Indices.

I. Disputationis Summarium.

II. Index glossarum tractatarum.

III. Index scriptorum et rerum.